ARS DIALOGORUM COMPONENDORUM
QUAS VICISSITUDINES
APUD GRAECOS ET ROMANOS SUBIERIT.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINE

PRAEMIO ORNATA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EIDEM ORDINI

TRADIDIT

HERMANNUS SCHLOTTMANN

MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXIX.

ARS DIALOGORUM COMPONENDORUM
QUAS VICISSITUDINES
APUD GRAECOS ET ROMANOS SUBIERIT.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINE

PRAEMIO ORNATA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EIDEM ORDINI

TRADIDIT

HERMANNUS SCHLOTTMANN

MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXIX.

REF.: PROF. DR. E. SCHWARTZ.

FRIDERICO LEO

EDUARDO SCHWARTZ

S.

Dialogi ortum ut intellegamus repetenda nobis est memoria illorum temporum cum sophistae qui dicuntur magna cum gloria Athenis versabantur omniumque oculos in se convertebant. Summa enim disserendi et dicendi arte praediti fallaciis et conclusiunculis omnibusque orationis illecebris imperitorum mentes prorsus turbaverunt et famoso illo πάντων μέτρον ἄνθρωπος nixi omnia rei publicae fundamenta convellerunt ac paene sustulerunt. His se opposuit Socrates, sine dubio princeps tum subtilitate disputandi, neque ullis molestiis aut inimicitiis deterritus est, quin ea via qua sola ad cognoscendum verum perveniri posse putabat fortiter incederet artique dialecticae operam navaret. Nam cum persuasum ei esset nihil magis opus esse, quam scire quid quaeque res esset, cumque virtutem ipsam scientiam esse putaret, hanc autem scientiam nulla re magis effici posse, quam cum se quisque aut ceteros exploraret, quamcunque cum aliis colloquendi occasionem studiosissime arripiebat eorumque animos temptabat qui aliquid scire videbantur. Neque tamen ita dialectica arte usus est ut sophistae qui abusi ea erant ad omnem scientiam subvertendam, sed ita ut „rebus non dubiis assensiones eius quicum colloquebatur captaret: quibus assensionibus effecit, ut illi dubia quae-

dam res propter similitudinem earum quibus assenserat probaretur.“ (Cic. de inv. I § 51.) [1])

Sed hac interrogandi et inquirendi consuetudine qua qui sapientissimi et prudentissimi sibi videbantur plane coarguebat permultorum odium in se convertit, quod magis magisque adeo crevit, ut ficti criminis accusaretur capitisque damnaretur.

Sed cum ipso non simul studia eius perierunt; discipuli Socratis inquirendi eius rationem retinuerunt ad eamque normam libros composuerunt. Sic dialogicum scribendi genus in litteras inductum est. Hac cum sententia Diogenes quidem pugnare videtur qui Zenonem Eleatem primum dialogos composuisse tradit III 48: διαλόγους τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην; sed, ni fallor, διάλογον et διαλεκτικὴν commutavit, quocum optime facit conjectura Steinhartii Susemihlii aliorum Platonem, ut omnino personas suas quam verissime describit, in altera Parmenidis parte Zenonis morem imitatum esse. Nam sane hic non minus a Platonico abhorret, quam cum definitione dialecticae congruit quam Diogenes Albinum secutus eodem loco profert: ἔστι δὲ διάλογος λόγος ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως συγκείμενος περί τινος τῶν φιλοσοφουμένων καὶ πολιτικῶν μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποιίας τῶν παραλαμβανομένων προσώπων καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκευῆς. διαλεκτικὴ δ᾽ ἔστι τέχνη λόγων, δ᾽ ἧς ἀνασκευάζομέν τι ἢ κατασκευάζομεν ἐξ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως τῶν προσδιαλεγομένων. Prorsus autem nihil scimus de Alexameno Styreo sive Teio cui Aristoteles apud Diogenem I. 1, dialogi inventionem attribuit, cuiusque Σωκρατικοὺς (!) διαλόγους cum Sophronis mimis contulit teste

[1]) Cf. etiam Mem. IV 6, 15 ubi Xenophon exemplo praemisso disserendi eius rationem sic describit: οὕτω δὲ τῶν λόγων ἐπαναγομένων καὶ τοῖς ἀντιλέγουσιν αὐτοῖς φανερὸν ἐγίγνετο τ᾽ ἀληθές. ὁπότε δὲ αὐτός τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην ἀσφάλειαν εἶναι λόγου.

Athenaeo XI p. 505 B: οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις ἢ (μὴ O. Jahn Hermes II 237) μιμήσεις τοῦ Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηΐου λόγους τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων.

Protagorae quoque nonnulli dialogi inventionem dedisse videntur, primus enim Socraticum dicendi genus movisse dicitur; quod tamen ita explicandum erit, ut de eadem re in utramque partem eum disputasse sumamus cf. Diog. IX 51: καὶ πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις, § 53: καὶ πρῶτος ἀπέδειξε τὰς πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις. Num libros quoque similiter composuerit, cum discerni nequeat, illud tamen inde discimus vestigia quaedam dialogicae compositionis iam ante Socratem exstitisse quod aliis quoque locis confirmatur. In Gorgiana Helena (§ 13) commemorantur φιλοσόφων λόγων ἁμίλλαι quae ceteris λόγοις ita opponuntur, ut de dialogis cogitare cogamur; apud Thucydidem (V, 87 sqq.) longius exstat colloquium inter Athenienses et Melios habitum laudesque τοῦ διαλέγεσθαι diserte praedicantur (85); a Platone denique Hippiae λόγος laudatur qui ita compositus erat, ut Nestor Neoptolemo quid bono adolescenti faciendum esset exponeret (Hipp. mai. 286 A. B. Philostr. V. S. II p. 14 ed. Kayser). Quo modo cum dubium esse non possit, quin iam ante Socratem dialogi exstiterint, illius tamen ratio disserendi summi fuit momenti ad hoc genus excolendum; hanc enim maxime ei propriam omnes fere discipulorum dialogi imitantur, inde nomen acceperunt Socraticorum dialogorum, inde Socrates in omnibus fere dialogis colloquens inducitur.

Sed iam venimus ad difficillimam illam quaestionem, quis primus dialogos composuerit; res est valde intricata et vix unquam dissolvi potest, quoniam Aeschinis et Antisthenis scripta perierunt. Diogenes quidem Laertius tradit II 122 Simonem primum dialogos edidisse, quod

quatenus verum sit, non iam possumus examinare. Ob eandem autem causam ne tempus quidem accuratius definiri potest quo hoc scribendi genus in litteras inductum sit; omittamus igitur coniecturas quas viri docti hac de re protulere et ad ipsos dialogorum scriptores transeamus quorum libri nobis sunt servati.

Et primum quidem de Xenophonte agamus qui, cum Socratis vivendi rationem describendam sibi sumeret, aptissimus videtur esse, a quo exordium faciamus. Ad memoriam Socratis defendendam et ornandam Memorabilia edidit quae tota fere in narratione sermonum versantur quos Socrates cum aliis de variis quaestionibus instituisse dicitur. Plerosque enim fictos esse satis iam constat, tamen Xenopho, siquidem magistri vivendi rationem vere descripturus erat, facere non potuit, quin disputandi consuetudinem maxime ei propriam imitaretur. Sermones igitur, quoniam memoria non tenebat, sibi finxit, et ut fidem iis adderet, in initio operis se ipsum cum Socrate colloquentem fecit et postea iterum atque iterum sermonibus se interfuisse affirmavit. En habemus, ut mihi videtur, simplicissimam dialogi formam quae non admodum a διαλέξεων genere diversa est.

Prorsus fere deest „ἡ πρέπουσα ἠθοποιία τῶν παραλαμβανομένων προσώπων“; duo tantum interlocutores inducuntur quorum partes plane impares sunt: alter principatum tenet, alter affirmat aut negat. Sed iam habemus fictionis morem qui quasi legitimus deinde factus est, habemus diegematicum genus, quo et ipso posteri praecipue usi sunt, videmus auctorem et sibi ipsi dicendi partes tribuentem et alios inducentem, et nonnulli sermones (I 6) vel Aristotelei dialogi elementa praebent ubi colloquentes deinceps perpetua oratione sententias suas proferunt.

Maiore cum arte compositus est Οἰκονομικός qui inscribitur dialogus; nam cum in Memorabilibus, ut natura

eorum fert, permulti sermones nullo fere conexu inter se coniuncti deinceps enarrentur, in quibus aliae semper personae cum Socrate de diversissimis quaestionibus colloquentes prodeunt, hic unum habemus argumentum per totum dialogum tractatum quod quidem eiusmodi est, ut a Socrate plane abhorreat.

Nec solum argumentum, sed dicendi quoque ratio a Socratis more recedit; inquirere ille consueverat, quid illud esset de quo disputarent et inde colligere quid in quaque re faciendum esset, Xenopho non disputat, sed docet; retinet quidem interrogandi et respondendi morem, sed ita ut inanis plane fiat. Catecheticam, ut ita dicam, formam dialogi invenit quam posteri saepius imitati sunt.

Et eodem erudiendi consilio nonnulli (Plutarchus, Macrobius) alio quoque dialogi genere usi sunt cuius et ipsius auctor est Xenopho; persuasum enim mihi habeo priorem illum συμπόσιον scripsisse nec locus ille multum laudatus (VIII 32) ubi Platonis librum tangere videtur, cum hac sententia non congruit.[1]) Hoc in dialogo progressus est Xenopho ad notationem personarum et ad artem quandam compositionis, de qua conferas velim Rettigium Philol. 38, 269, qui tamen nimis eam laudat. Ipsa enim natura argumenti varietatem quandam et alacritatem tulit multumque Xenophontem in opere conficiendo adiuvit. Tamen quanti fuerit momenti hic dialogus, non satis dici potest; intellegimus enim ex eo unde compositionis formae quas posterorum dialogi praebent ortae sint. Hoc ut clarius fiat, contemplemur Platonis convivium. Maximam dialogi partem orationes occupant quas convivantes deinceps de amore proferunt; en habes consuetudinem quandam convivii qua Xenopho quoque usus erat

---

[1]) Hug. Plat. Symp. praef. p. XXII Teichmueller Litt. Fehd. II 281.

(c III, IV) artificiose in dialogi compositione adhibitam; hanc formam deinde Aristoteles recepit et ita tantum mutavit, ut personas suas de proposito aliquo in utramque partem disputantes faceret; eum imitati sunt Cicero (de fin. de divinat. de deor. nat.) Tacitus Minucius Felix Plutarchus alii; paullo hanc formam mutaverunt Cicero in dialogo „de Oratore" et Sulpicius Severus; inde denique ea quoque forma dialogi quam Ciceronis Laelius, Cato maior, Tusculanae disputationes praebent facile et fluxit et explicatur.

Plane singularem morem Hieronis compositio praebet: disputatur in utramque partem, Socrates non prodit. Tamen argumenta adeo Xenophontis ingenium redolent, ut libellum ei non denegaverim.

Fortasse Xenopho haud pauca ex ceterorum Socraticorum scriptis recepit, et profecto videtur Aeschines „Aspasiam" suam ante Memorabilia edidisse;[1]) quoniam autem hic dialogus ut ceteri eiusdem auctoris perierunt, num et quatenus eos imitatus sit, non possumus diiudicare. Quantum ex fragmentis conicere licet, Aeschines et ipse dialogos suos in diegematico genere composuit et Socrati dicendi principatum tribuit.[2])

Difficilior etiam est quaestio, quomodo Antisthenes dialogos suos composuerit. Exstant quidem haud pauca fragmenta, sed nihil fere inde de forma eorum concludi potest. Ne illud quidem satis constat qui libri in dis-

---

[1]) Cf. Mem. II 6, 36 et Oecon. III 14 cum fragmento quodam a Cicerone servato de inv. I 31 Diels: Über das 3. Buch d. Aristot. Rhetorik S. 22. Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1886.

[2]) C. Fr. Hermann, disputatio de Aeschinis Socratici reliquiis Gött. 1850 p. 29 ubi fragmenta duo a Prisciano XVIII 25 § 226 et Demetrio de Eloc. § 201 servata attulit, praeterea Prisc. XVIII 23 § 193 Hermann p. 25, scholiast. Arist. T. II p. 292—94 ed. Dind. Hermann p. 16 Cic. de inv. I 31, Hermann p. 16, Antonini εἰς ἑαυτὸν VII 66, Herm. p. 25.

putatione versentur; nam si Duemmler omnes illos, in quibus Homericae quaestiones tractantur, in dialogi forma scriptos esse censet, coniecturam facit nullo testimonio confirmatam; immo ipsa Platonis scripta, in quibus Antisthenes tangitur, ab ea abhorrent. Cf. Hipp. min. p. 363 C: ἐπειδὴ καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ παντοδαπὰ ἡμῖν ἐπιδέδεικται καὶ περὶ ποιητῶν τε ἄλλων καὶ περὶ Ὁμήρου. 363 D καὶ γὰρ ἂν δεινὰ ποιοίην, ὦ Εὔδικε, εἰ .... ἀεὶ ἐπανιὼν οἴκοθεν ἐξ Ἤλιδος εἰς τὸ ἱερὸν παρέχω ἐμαυτὸν καὶ λέγοντα ὅτι ἄν τις βούληται, ὧν ἄν μοι εἰς ἐπίδειξιν παρεσκευασμένον ᾖ etc. 369 C ἐπεὶ καὶ νῦν, ἐὰν βούλῃ ἐπὶ πολλῶν τεκμηρίων ἀποδείξω σοι ἱκανῷ λόγῳ, Ὅμηρον Ἀχιλλέα πεποιηκέναι ἀμείνω Ὀδυσσέως καὶ ἀψευδῆ ... εἰ δὲ βούλει, σὺ αὖ ἀντιπαράβαλλε λόγον παρὰ λόγον. 373 A μακρὸν μὲν οὖν λόγον, εἰ θέλεις λέγειν, προλέγω σοι ὅτι οὐκ ἄν με ἰάσαιο, qui locus cum antecedentibus comparatus apte adferri potest, quamquam per se quidem μακροὶ λόγοι in dialogo quoque locum habent. Platonem personas suas quam maxime ad veritatem describere satis inter omnes constat; itaque cum hoc in dialogo suum disserendi morem oratorio illius generi opponat, veridissimile est Homericos libros in dialogi forma compositos fuisse, nisi forte putas Antisthenem personas suas perpetua oratione colloquentes induxisse. Oratoria eius studia testatur quoque Diogenes VI 1: οὗτος κατ' ἀρχὰς μὲν ἤκουσε Γοργίου τοῦ ῥήτορος, ὅθεν τὸ ῥητορικὸν εἶδος ἐν τοῖς διαλόγοις ἐπιφέρει καὶ μάλιστα ἐν τῇ Ἀληθείᾳ καὶ τοῖς Προτρεπτικοῖς;[1])

---

[1]) De origine protrepticorum optime Hirzelius in decimo Hermae tomo p. 69 sqq. disputavit; non recte autem inde conclusit Aristotelis προτρεπτικὸν in oratoria forma compositum fuisse. Hic enim Diogenis locus collatus cum Platonis Hipp. maj. p. 286 A manifeste ostendit orationibus quae summam quidem partem occupant dialogum nonnunquam praemissum esse. Corruunt igitur quae Hirzelius de usu verbi λόγος disseruit aut certe sententiam eius non ita comprobant, ut omnis dubitatio tollatur. Quoniam autem Cicero in dialogo componendo Aristotelio libro usus est satisque locis modo allatis constat protrepticorum morem a dialogo non abhorrere, veri est simillimum

et idem fabulosas eum saepe aut antiquas personas induxisse quorum exemplis doctrinas suas comprobaret. l. l. § 2 καὶ ὅτι ὁ πόνος ἀγαθὸν συνέστησε διὰ τοῦ μεγάλου Ἡρακλέους καὶ τοῦ Κύρου, τὸ μὲν ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων, τὸ δὲ ἀπὸ τῶν βαρβάρων ἑλκύσας. Ipsosne induxerit an Socratem sermones ab iis institutos narrantem fecerit, non satis apparet. Nec magis quomodo singulos dialogos composuerit; si verum est quod Diogenes Laertius III 35 tradit eum Sathonem dialogum contra Platonem scripsisse, eodem adversarios refellendi consilio dialogo usus esset atque Plato.

Hic enim tantum aberat, ut σύστημα quoddam doctrinarum in libris suis proferre vellet, ut omnem omnino edocendi facultatem scriptis denegaret. Hunc esse sensum nobilis illius Phaedri loci multi iam viderunt et nuper summa cum subtilitate demonstravit Joel[1]) cuius tamen ipsius sententia de Platonis scribendi consilio longe a veritate abhorret. Sed quoniam satis iam constat nihil fere eum scripsisse externa causa non coactum aut invitatum, non opus est hac in re diutius morari; ipsos igitur dialogos quomodo composuerit videamus.

Et primum quidem dicendum est Platonem aeque atque Xenophontem in omnibus fere dialogis Socrati primas tribuisse qui mos, ut supra iam dixi, Socratico dialogi ortu et necessitudine quadam inter Socratem discipulosque eius intercedente explicatur. Deinde, ut Xenophon in plurimis dialogis, se ipsum colloquentem non fecit, diversa tamen ratione commotus. Nam ut taceam illum semel loquentem prodire, praecipue id egisse videtur, ut

---

Ciceronem, ut saepissime Aristotelem imitatur, una cum argumento scribendi quoque formam inde sumpsisse. Cf. etiam Diels Archiv für Geschichte der Philosophie, I 483 sqq.

[1]) Zur Erkenntnis der geist. Entwickl. u. d. schriftsteller. Motive Platos mit besonderer Rücksicht auf Phaedr. 96 A bis 100 B und Phaedr. 274 B bis 278 B. Leipz. Diss. 1887.

libris suis fidem compararet. Quoniam autem veridissimile erat omnes eum sermones memoria tenere, nonnullis tamen sese interfuisse affirmavit. Itaque non nisi necessitate quadam coactus se ipsum non semper induxit. Plato autem dialogos suos plane ad similitudinem fabularum scaenicarum composuit ob eamque causam ne narrandi quidem partes sibi dedit.

Atque hac in imitatione fabularum summa omnino diversitas inter Xenophontis et Platonis dialogos posita est. Semper fere certo loco Plato scaenam constituit, personarum quas induxit mores, ingenium, vivendi et sentiendi rationem quam maxime ad vitae veritatem descripsit, ipsam disputationem ad dramatis exemplum conformavit, ita ut exordium, progressus, exitum haberet, omnia denique uni dialogi consilio accommodavit neque dubitavit, ut dramatis unitatem quae dicitur retineret, personas suas in Republica et Legibus per decem horas vel etiam diutius colloquentes facere. Quodsi tamen nonnunquam in rationem temporum „peccavit" aut exiliore ornamento usus est, philosophicis dialogorum argumentis condonandum est. Nam si quis secum reputet quantopere philosophia quae nec tempus nec locum neque homines curat, dramati oppositum sit, quod eadem omnia sibi flagitat, non iam Platonem vituperabit, immo admirabitur quanta plerumque arte duas has naturas maxime sibi contrarias copulaverit. [1])

Eadem autem fabularum imitatio quam in tota dialogorum compositione sibi proposuit Platonem quoque commovisse videtur, ut a diegematico Xenophontis genere recederet novumque dramaticum scilicet induceret quod ad naturam eorum magis quadrabat perfectamque demum imitationem reddebat. Prius enim esse genus diegemati-

[1]) Cf. v. Stein, Gesch. des Platonismus I 18 sq.

cum iam inde apparere mihi videtur, quod quae re vera facta esse finguntur, maiorem sibi comparabunt fidem, si quis eorum qui colloquiis interfuerant narrandi partes suscipit. Hanc ob causam Xenopho et, quantum quidem scimus, Antisthenes quoque et Aeschines semper diegematico genere usi sunt eosque omnes fere dialogorum scriptores secuti sunt, nisi quod ii qui catecheticos dialogos composuerunt dramaticam formam ad Xenophonteam inventionem emendandam adhibuerunt. Accedit locus ille Theaeteti [1]) ubi Plato disertis verbis profitetur, referendi illam formam molestam esse. Num postquam novum genus invenit, ad prius interdum redierit? Equidem non credo.

Si externam dialogorum speciem contemplamur, habemus igitur tria genera quae iam veteres distinxerunt cf. Diog. Laert. III 50: οὐ λανθάνει δ' ἡμᾶς, ὅτι τινὲς ἄλλως διαφέρειν τοὺς διαλόγους φασί. λέγουσι γὰρ αὐτῶν τοὺς μὲν δραματικούς, τοὺς δὲ διηγηματικούς, τοὺς δὲ μικτούς. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τραγικῶς μᾶλλον ἢ φιλοσόφως τὴν διαφορὰν τῶν διαλόγων προσωνόμασαν. Proxime ad Xenophontis morem accedunt ii dialogi qui in diegematico genere scripti sunt: Lysis, Charmides, Respublica; tamen ne hi quidem plane similes sunt, cum Plato referendi partes Socrati, non sibi ipsi daret. Qui autem putant eos hanc ob causam magis Socraticam doctrinam sapere quam ceteros, prorsus errare mihi videntur. Ab antecedentibus non admodum differunt Protagoras et Convivium, mixti generis dialogi; prodit quidem alter interlocutor, nomine autem et descriptione caret. Maiore cum arte dramaticum genus adhibuit Plato in Euthydemo et Phaedone, interlocutores accuratius notavit neque in

---

[1]) ἵνα οὖν ἐν τῇ γραφῇ μὴ παρέχοιεν πράγματα αἱ μεταξὺ τῶν λόγων διηγήσεις, περὶ αὑτοῦ τε ὁπότε λέγοι ὁ Σωκράτης, οἷον καὶ ἐγὼ ἔφην καὶ ἐγὼ εἶπον ἢ αὖ περὶ τοῦ ἀποκρινομένου, ὅτι συνέφη ἢ οὐχ ὡμολόγει, τούτων ἕνεκα ὡς αὐτὸν αὐτοῖς διαλεγόμενον ἔγραψα, ἐξελὼν τὰ τοιαῦτα, p. 143 C.

initio solo prodeuntes fecit. Menexenus quoque dialogus huc referendus est qui tamen id sibi proprium habet, quod orationis relatio principale dialogi argumentum est. Propius etiam ad dramaticum genus accedunt Theaetetus et Parmenides qui inscribuntur dialogi; in altero Plato brevem sermonem ad exemplum Euthydemi comparatum praemittit, tum ipsum quoque dialogum dramatice componit; in altero media in relatione ad dramaticum genus transit. Cf. Ciceronis Catonem, Laelium, Tusc. disp. Qui restant dialogi omnes in dramatico genere compositi sunt.

Et haec quidem de externa dialogorum specie. Quodsi in Convivio Theaeteto Parmenide enarrandi partes iis tribuit qui ipsi sermonibus non interfuerant, non tam compositioni quam consilio dialogorum proprium est. Nec magis curamus, cur tum dramatico, tum diegematico, tum mixto genere usus sit Plato; viri docti alii alias causas attulerunt, equidem libere profiteor me non intellegere qua de causa Charmidem et Lysidem in diegematico genere, Euthyphronem et Lachetem, ut exemplis utar, in dramatico composuerit, atque plane mihi persuasum habeo eum tum nondum hoc genus invenisse.

Sed omittamus inutiles coniecturas et internam dialogorum speciem contemplemur. Non iam disserendi eam rationem dico quam Plato cum ceteris Socraticis communem habuit, nec componendi eam artem qua omnes et singulas partes uni dialogi consilio et fini accommodavit, neque admirabilem illam facultatem qua personas suas ad ipsius vitae similitudinem depinxit et ita disputantes fecit, ut ad argumentum de quo maxime disserunt non praeparati atque meditati, sed casu accessisse videantur: has Platonicorum dialogorum virtutes tot iam tantopere laudaverunt, ut vix addi quicquam possit; mihi iam agendum est de diversis formis quibus ipsa dis-

putatio composita est. Has ut recte intellegamus, meminerimus oportet Platonem plurimos dialogos eo praecipue consilio scripsisse, ut adversarios refutaret. Hoc maxime apparet in iis dialogis, in quibus de notione quadam definienda agitur. Plerumque personas suas adversariorum de quaque re sententias proferentes facit quas ipse sub Socratis persona refellit aut totam inquisitionem in definitione quadam adversarii exstruit quae omnes ab ipso prolatas convellit. Hoc modo composuit Lysidem Charmidem Lachetem Euthyphronem Hippiam maiorem Cratylum Menonem Theaetetum; similiter in Ione Hippia minore Protagora Alcibiade maiore adversarios vanitatis et inscitiae coarguit, in Gorgia et Critone ut erravisse sese fateantur commovet, in Euthydemo ipsa descriptione deridet. (Cf. Bonitz Platon. Studien p. 126.) In Phaedro quoque inquisitio exstructa est oratione adversarii, de Convivio supra jam dixi. Nonnunquam (Crito, Hipp. mai.) Platonicus Socrates sub aliena persona eos refellit, ὑπόστασιν quae dicitur adhibet. (Cf. etiam Diotimae personam in Convivio.)

Ceteri dialogi ita plerumque compositi sunt, ut quaestio proposita ad certum finem perducatur. Adversariorum dubitationes non tam ab ipsis quam a Socrate proferuntur et magna cum subtilitate refutantur; unus adeo principatum tenet, ut colloquentibus non nisi affirmandi aut negandi optio relinquatur; tota omnino disputatio δογματικῶς magis quam ζητητικῶς instituitur.

Ceterorum Socraticorum scripta quoniam aetatem nostram non tulerunt neque discernere possumus, num omnino dialogi ab iis compositi sint (cf. Panaetii iudicium apud Diogenem II 64) liceat hoc loco statim eos dialogos tractare qui vulgo Platoni tribuebantur, haud paullo tamen post confecti sunt. Plerosque antiqui iam critici spurios esse dixerunt, nonnulli nostro demum saeculo Platoni

abiudicati sunt. Huius modi sunt Alcibiades alter, Theages, Epinomis, Clitopho,[1]) Erastae.

Priores quattuor in dramatico genere compositi sunt, Erastae diegematicum praebent. Disserendi forma plerumque talis est, ut Clitophonte excepto quam proxime ad Platonicum morem accedat, minus congruit disserendi ratio et personarum notatio quae Platonica irrisione et urbanitate plane destituta est, praecipue autem argumenta ita comparata sunt, ut de adulterina origine omnis dubitatio removeatur.

Quod multo etiam magis cadit in Hipparchum et Minoem. In utroque libello Socrates et amicus quidam colloquentes inducuntur qui non solum nomine (cf. Erast.), sed etiam descriptione caret; deest scaena, deest exordium, a quo Plato minora scripta incohare solet; quaestio protinus proponitur: τί γὰρ τὸ φιλοκερδές; ὁ νόμος ἡμῖν τί ἔστιν;[2])

[1]) Kunert (quae inter Clitophontem dialogum et Platonis Rempublicam intercedat necessitudo Gryph. 1881) quamquam recte contendit hunc dialogum spurium esse haud paucis tamen in rebus magnopere erravit. Ad sententiam enim suam comprobandam Clitophontem scilicet dialogum respicere Platonis Reipublicae primum librum eundemque Platonem commovisse, ut in libris II—VII accuratius etiam de fine et natura iustitiae disputaret, Clitophontis loco utitur ubi haec exstant: ταῦτα ὦ Σώκρατες ἐγὼ τελευτῶν καὶ σὲ αὐτὸν ἠρώτων καὶ εἰπές μοι δικαιοσύνης εἶναι τοὺς μὲν ἐχθροὺς βλάπτειν, τοὺς δὲ φίλους εὖ ποιεῖν etc. p. 410 A quem locum spectare dicit Reipublicae p. 334 sqq. Sed res multó aliter se habet. Dictum enim illud de iustitia Polemarchi est et a Socrate quam accerrime impugnatur atque refutatur. Itaque locus ille Clitophontis minime huc quadrat. Maiore autem cum iure conferuntur Clitoph. p. 408 B . . . τῷ μαθόντι τὴν τῶν ἀνθρώπων κυβερνητικήν, ἥν δὴ σὺ πολιτικήν, ὦ Σωκράτεις ἐπονομάζεις πολλάκις, τὴν αὐτὴν δὴ ταύτην δικαστικὴν καὶ δικαιοσύνην ὥς ἐστιν λέγων et Erast. p. 137 D τίς οὖν ἔστιν ἡ ἐπιστήμη ἥ τις τοὺς ἐν ταῖς πόλεσιν ἀκολασταίνοντας καὶ παρανομοῦντας ὀρθῶς κολάζει; οὐχ ἡ δικαστική; Ναί; Ἢ ἄλλην οὖν τινα καλεῖς δικαιοσύνην ἢ ταύτην; Οὔκ ἀλλὰ ταύτην.

[2]) Cf. Cicer. Tusc. disputationes, quae ita tantum diversae sunt, quod in iis ponitur aliquid, contra quod Aristotelio more disputatur, cum hic Platonico more de aliqua re inquiratur.

Nec meliores initiis exitus dialogorum sunt; nihil de quaestionibus discernitur, definitio enim ea quae in Hipparcho profertur tam absurda est, ut primo obtutu falsa appareat, in Minoe nulla omnino pronuntiatur. Non opus est hoc loco de multis argumentandi vitiis agere, id unum commemorandum est ἐγκώμια ipsa quorum causa dialogi scripti esse videntur plane et a Platonico more et a principali librorum argumento abhorrere.

Similiter, si externam speciem contemplamur, compositi sunt dialogi περὶ ἀρετῆς et περὶ δικαίου qui inscribuntur. In iis quoque amicus quidam cum Socrate colloquitur qui accuratiore notatione caret, tempus et locus non commemorantur, protinus medias in res inducimur. Quaestiones ad exitum quendam perducuntur, sed ad talem, ut nihil inde lucremur, et cum in illis tamen aliqua via ac ratione procedatur, hic omnia conturbantur et miscentur.

Magis etiam a Platonico componendi more recedit Demodocus dialogus qui consertus est ex quattuor partibus et argumento et forma inter se diversis. Prima enim omnino non sermonem continet, aliquis perpetua oratione loquitur, in ceteris alter quidem interlocutor inducitur qui tamen nomine caret (cf. infra Stoicorum morem). Praeterea argumenta plane a Platone aliena sunt recteque viri docti inde quod in prima parte de regii imperii laudibus agitur (cf. Hipparchum et Minoem) conclusisse mihi videntur dialogum Alexandri magni temporibus editum esse quocum compositionis forma optime facit.

Atque idem dicendum est de Sisypho qui tamen ut ceteri νοθευόμενοι Eryxias Axiochus Halcyon Platonicum morem melius imitatur. In his omnibus scaena describitur, antecedit in Eryxia et Axiocho longius exordium, ne personae quidem notatione quadam carent, disputatio haud male procedit. Tamen vestigia nonnulla posterius tempus indicant; in Sisypho scribendi consilium et exitus a Platone

abhorrent, ut taceam de Socrate Pharsali versante, in Halcyone argumentum et genus disserendi, ne dicam declamandi, quod et ipsum in Axiocho offendit, praeterquam quod auctor huius dialogi saepius ex diegematico ad dramaticum genus transit, neque ut Plato in Theaeteto, sed ita ut Socratem et referentem et colloquentem faciat. Omnium optimus est Eryxias qui plane ad Platonicum exemplum compositus est.

Platonis discipuli ut magistri doctrinas secuti sunt, sine dubio scribendi quoque formam retinuerunt, sed quae hac de re scimus admodum pauca sunt. Apud Diogenem Laertium (IV 4) legimus Speusippum πάμπλειστα ὑπομνήματα καὶ διαλόγους πλείονας reliquisse longamque deinde seriem titulorum habemus, qui tamen libri in dialogo compositi sunt, non iam possumus discernere. Xenocrates quoque dialogos scripsisse videtur, siquidem ex titulis coniecturam facere licet (cf. Diog. IV 12 Καλλικλῆς. 13 Ἀρχέδημος ἢ περὶ δικαιοσύνης), ipsa tamen scripta perierunt.

Idem fatum quamquam Aristotelis quoque dialogi habuerunt, accuratior tamen eorum notitia nobis non deest.[1]) Hanc praecipue Ciceroni debemus qui in dialogis suis componendis Aristotelem imitandum sibi sumpsit, ut saepissime ipse profitetur. Iam si Platonicos dialogos cum Ciceronianis comparamus, summa diversitas ea in re posita esse videtur, quod Plato scaenam per totum dialogum retinet, Cicero saepe eam commutat. Qua causa commotus hoc fecerit non difficile est explicatu. Nemo enim non videt Platonis Rempublicam et Leges solitum sermonis tempus longe excedere, veridissimile est colloquentes per decem vel duodecim horas eadem cum alacritate continuo

---

[1]) Quaestionem illam diu multumque tractatam, iidemne sint οἱ ἐξωτερικοὶ λόγοι atque dialogi necne Diels (Über die λόγοι ἐξωτερικοὶ des Arist. Sitzungsber. der Berl. Akad. 1883 p. 477 sqq.), prorsus ad finem perduxisse mihi videtur.

disputare, tamen Plato hac quoque in re dramatis exemplum semper imitatus est. Cicero ab hoc more recessit et personas suas compluribus diebus disputantes fecit. Sed ne singulae dialogi partes conexu carerent, prooemia praemisit, in quibus novam scaenam exposuit et antecedentem sermonis particulam in memoriam revocavit. Hunc autem morem non ipse invenit, sed ab Aristotele mutuatus est, ut ipse testatur ep. ad Att. IV 16, 2: „quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis quos ἐξωτερικοὺς[1]) vocat.“

Neque abhorret quod Basilius tradit Aristotelem et Theophrastum in dialogis statim res ipsas aggressos esse, quod quantum a Platonis venustate abessent, bene sibi conscii fuissent. Cf. epist. 135: ὅτι καὶ τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων οἱ τοὺς διαλόγους συγγράψαντες Ἀριστοτέλης τε καὶ Θεόφραστος εὐθὺς αὐτῶν ἥψαντο τῶν πραγμάτων διὰ τὸ συνειδέναι αὑτοῖς τῶν Πλατωνικῶν χαρίτων τὴν ἔνδειαν. Hi loci nobis indicant Aristotelis prooemia non Platonico more (cf. Lach. Lys.) artissime cum ipso sermone coniuncta fuisse, sed necessariam tantum expositionem scaenae dedisse.[2]) Hoc unicum eorum argumentum fuisse Proclus quoque testatur qui Theophrastum et Heraclidem Ponticum vituperat, quod prooemiis aliena inseruerunt, sicut postea Cicero, cf. Proclum in Parm. t. IV p. 54 Cous. τὸ δὲ παντελῶς ἀλλότρια τὰ προοίμια τῶν ἑπομένων εἶναι, καθάπερ τὰ τῶν Ἡρακλείδου τοῦ Ποντικοῦ καὶ Θεοφράστου διαλόγων, πᾶσαν ἀνιᾷ κρίσεως μετέχουσαν ἀκοήν.[3]) Vel primo obtutu apparet quanti momenti Aristotelis inventum fuerit. Interiectis prooemiis dialogus in complures partes dissolvitur, dramatis imitatio relinquitur, novum dialogorum genus in-

[1]) Ciceronem de dialogis cogitasse apparet. Cf. Diels l. l. p. 493 sq.

[2]) Bernays, D. Dial. d. Aristot. p. 137.

[3]) Birt, D. antike Buchw. p. 476[4].

ducitur quod cum multas sane laudes retineat novasque sibi comparet, Platonica tamen praestantia privatur.

Num iam ipse Aristoteles dialogos suos in libros distribuerit? Mihi quidem non veridissimile est; ab inventione prooemiorum facile transiit ad hanc distributionem et ipsa quoque fragmenta hoc confirmare videntur; Bernaysius enim ostendit singulos libros certum argumentum continere, ut in primo libro περὶ φιλοσοφίας qui inscribitur dialogi Aristoteles de antiquissima philosophia agit, in secundo de Platone eiusque aequalibus, in tertio suam ipsius doctrinam profert — itaque valde dubito, num Birtius l. l. p. 472 sq. iure illud negaverit.

Alia etiam invenit Aristoteles quae cum neglecta dramatis imitatione artissime conexa sunt. Proprium illius est, ut auctor nunquam prodeat; hanc legem Plato in componendis dialogis semper observavit, Aristoteles se ipsum loquentem induxit teste Cicerone ad Att. 13, 19: „quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus“ et epist. ad Quint. fr. III 5: „Aristotelem denique quae de re publica et praestante viro (Bernays l. l. 154) scribat ipsum loqui.“

Cum Cicerone pugnare videtur locus quidam Ammonii Hermae in cat. p. 6 B ed. Ald. „συνταγματικὰ δὲ λέγουσιν, ὅσα καὶ φράσιν ἔχει πρέπουσαν συντάγματι καὶ τὴν τῶν κεφαλαίων εὔτακτον διαίρεσιν· τῶν δὲ συνταγματικῶν τὰ μὲν διαλογικά, τὰ δὲ αὐτοπρόσωπα. αὐτοπρόσωπα μέν, ἐν οἷς ἐξ οἰκείου προσώπου τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο, ἅπερ καὶ ἀκροαματικὰ καλοῦσιν διὰ τὸ πρὸς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον. διαλογικὰ δέ, ὅσα μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συνέγραψεν.“ Sed quis non videt hoc loco τὰ διαλογικὰ eam ob causam τοῖς αὐτοπροσώποις opponi, quod in iis alii quoque prodeunt, cum in his Aristoteles solus loquatur; itaque hic locus non abhorret a Ciceronis verbis.

Quae autem causa Aristotelem commoverit, ut a Platonico more recederet, iam Cicero sensisse videtur.

Plato et aequales eius Socratem cui in dialogis suis primas tribuebant loquentem audiverant ob eamque causam cum specie quadam veritatis sese sermones ab eo institutos enarrare contendere potuerunt; Aristotelem vero qui Socratem nec viderat neque audiverat ipsa temporum ratio illum inducere vetuit, et si fecisset, multa sane ei propter aetatem omittenda erant: itaque reliquit potius Platonicum genus sibique ipsi dicendi partes dedit. Hunc morem postea Cicero recepit et ab eo omnes fere Romani dialogorum auctores Florus Minucius Felix Sulpicius Severus Augustinus Cassianus.

Quos et quot colloquentes Aristoteles in dialogis suis induxerit nescimus; non recte autem Rossbachius (Herm. 17, 337 [4]) contendit iam Aristotelem ἀορίστοις προσώποις usum esse: nam locus ille Eudemi (cf. Rose. Arist. fragm. p. 48, 20) nihil demonstrat: nomen quidem eius qui loquitur non additum est, sed esse eum eundem atque qui supra (v. 11) ὦ κράτιστε πάντων καὶ μακαριστότατε vocatur apparere mihi videtur. Illud vero Cicero nobis tradit colloquentes perpetua oratione usos esse. Saepissime enim Peripateticorum morem laudat, quod optimam dicendi exercitationem praebeat. Hanc autem Platonico more in singulis rebus insistendi non admodum adiuvari nemo non videt: Aristoteles igitur eum ita mutaverit oportet, ut eloquentiae aptior fieret, quod aliter facere non potuit ac si personas suas perpetua oratione loquentes induxit. Plato summum momentum in dialectica arte posuerat ob eamque causam longas orationes respuerat, Aristoteles minus ei auctoritatis tribuit; Plato in dialogis quaesiverat, quid bonum esset quid malum, quid iustum quid iniustum, quid pulchrum quid turpe, quid verum quid falsum: huiusmodi quaestionibus spinosum illud et acu-

ratum genus sermonis aptissimum erat. Aristotelis dialogi alia argumenta praebent quae perpetuam orationem desiderant: ut paucis comprehendam: Plato inquisivit, Aristoteles docuisse potius et enarrasse videtur. Ut in dialogo περὶ φιλοσοφίας qui inscribitur totam philosophiam ab originibus usque ad suam aetatem descripsit, in dialogo „περὶ ποιητῶν" non tam de natura poeseos quam de singulis poetis egit, in „Convivio" [1]) suo quaestiones convivales tractavit: unde τὸ τράγημα appellatum esset (Rose fr. 104), cur senes facilius quam mulieres vino obruerentur (fr. 108), cur in conviviis coronae gererentur, similia (cf. Plut. Macrob.).

Ubi Aristoteles personas non narrantes sed disputantes induxit, ipsa disputatio ita instituta esse videtur, ut colloquentes contrarias de eadem re sententias profiterentur; [2]) nam ob id ipsum Cicero Aristotelem summopere laudat. Cf. de Orat. III 21, 80: „sin aliquis exstiterit

---

[1]) Post Aristotelem convivia scripserunt Epicurus (Plut. Symp. III 4, 1; symp. quaest. prooem. lib. I p. 612 D; non posse suav. vivi c. 13; adv. Col. c. 6; Diog. X 28; Athen. V 186 D, 187 B, 177 B, 179 D, 182 A, 187 C), Prytanis, Hieronymus (Plut. symp. quaest. l. l.), Dio (Plut. l. l. Cicero ad fam. IX 26, Clem. Alex. IV p. 380 D Heins.), Persaeus (Athen. IV 162 E). Menippus (Athen. XIV 629 E, 664 E), Meleager (Athen. XI 501 C), Parmeniscus (Athen. IV 156 C sqq.), Didymus (Schmidt Did. Chalk. p. 370 sqq.). Plutarchus, Lucianus, Heraclides (Mein. anal. Alex. p. 378), Herodianus (Steph. Byz. s. v. Δικαιαρχεία). Athenaeus, Methodius, Iulianus; Maecenas (Serv. Aen. VIII 310, Suidas), Asconius Pedianus (Suidas s. v. Ἀπίκιος Μάρκος, Hirzel Mus. Rhen. 43, 315), Lactantius (Hieron. vir. illustr. 80), Macrobius.

[2]) Hoc animadvertendum mihi videtur, ne temerius de tempore quo dialogi editi sint concludamus. Itaque si Eudemi fragmenta maiorem cum Platonis doctrina similitudinem praebent quam ceterorum dialogorum, non necessario inde sequitur hunc prius editum esse. Possunt haec pauca fragmenta quae forte nobis tradita sunt, ex oratione Platonici cuiusdam sumpta esse et postea ab Aristotele ipso refutata.

aliquando qui Aristotelis more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes praeceptis illius cognitis explicare aut hoc Arcesilae modo et Carneadis contra omne quod propositum sit disserat . . . is sit verus, is perfectus, is solus orator.“ Cf. etiam Tusc. disp. II § 9 et Eliam in Ar. cat. p. 24 b, 33: „ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἄλλην διαφορὰν λέγει τῶν ἀκροαματικῶν πρὸς τὰ διαλογικά, ὅτι ἐν μὲν τοῖς ἀκροαματικοῖς τὰ δοκοῦντα αὐτῷ λέγει καὶ τὰ ἀληθῆ, ἐν δὲ τοῖς διαλογικοῖς τὰ ἄλλοις δοκοῦντα τὰ ψευδῆ.“ Sic explicandus quoque est locus ille multum laudatus (ad fam. I 9, 23): „scripsi igitur Aristotelis more, quemadmodum quidem volui tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles.“ Haec verba nihil aliud significant nisi hoc: scripsi dialogum „de Oratore“ in tres libros distributum, ita ut Aristotelio more in utramque partem disputarem. [1])

Unde autem factum est, ut hanc sibi dialogi formam eligeret? Non licet Platonis exemplum afferre qui magis magisque priorem disserendi morem omisit, magnum tamen interest discrimen inter perpetuam eius orationem et Aristoteliam illam in utramque partem disputationem; multo verisimilius est Aristotelem hunc morem inducentem Isocrati aliquid concessisse qui summa tum gloria utebatur, laudes eloquentiae assumpsit neque eam scribendi formam reiecit quae quasi legitima facta erat philosophis. Neque desunt qui rem ita sese habuisse testentur. cf. praecipue Ciceronem de or. III 35, 141: „Aristoteles cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret . . . mutavit repente totam formam prope disciplinae suae . . . itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit“ et

---

[1]) Cf. Zeller II² 57⁶.

Orator 14, 46: in hac (θέσει) Aristoteles adulescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi sed ad copiam rhetorum in utramque partem ut ornatius et uberius dici possit, exercuit; idemque locos ... quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio; Tusc. disp. I 4, 7. Haec autem ob oratoria studia posteri distinxerunt inter scholas matutinas et pomeridianas (Quint. III 1, 14) et inter libros exotericos qui „ad rhetoricas meditationes facultatemque argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant" et ἀκροατικοὺς, „in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur quaeque ad naturae contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant" (Gell. N. A. XX 5); quae distinctio, quantum quidem ad libros pertinet, non prorsus neglegenda est. Dialogi enim — hi autem libri illi exoterici fuisse videntur — oratorium ornatum praebent et cum ceteris Aristotelis scriptis collati magis ad communem sensum sese applicasse videntur, et quamquam multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice erant, ipsa illa in utramque partem disputatio non tam veritatem quam elegantiam venabatur, ad imitandum potius quam persuadendum apta erat.

Sic Aristotelium dialogi genus, ut paucis comprehendam variis ortum est causis. Magistri imitationem fabularum omisit, ne contra verisimilitudinem peccaret, qua cum innovatione artissime distributio in libros cohaeret; eandem ob causam non Socrati dicendi primas dedit, prodiit ipse; Isocratis denique auctoritatem ut infringeret, dialogum suum quam maxime ad oratoriam formam et communem sensum accommodavit.

Aristotelis morem discipuli eius, quantum quidem scimus, imitati sunt. Dicaearchus duos dialogos composuit (Cic. ad. Att. XIII 32) qui inscripti erant Κορινθιακὸς et Λεσβιακὸς ex loco, ubi sermones habiti esse finguntur. Utrumque λόγον in tres libros divisit (cf. Cic. Tusc. disp. I 10

„Dicaearchus autem in eo sermone quem Corinthi habitum tribus libris exponit" et I 31 „acerrimae autem deliciae meae, Dicaearchus, contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis sermo habetur) et priorem ita instituit, ut „doctorum hominum disputantium primo libro multos loquentes faceret, duobus Pherecratem quendam Phthiotam senem disserentem induceret." En habemus Aristotelis imitationem qui et ipse in utramque partem disputavit et personas perpetua oratione disserentes induxit.

Politici argumenti erat τριπολιτικὸς qui inscribitur dialogus (Cic. ad Att. XIII 32, Athen. IV 141 A) quem respicere videtur Cicero de Leg. III 5, 14: post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum Heraclidesque Ponticus profectus ab eodem Platone, Theophrastus vero institutus ab Aristotele habitavit, ut scitis, in eo genere rerum ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi et studio non defuit." Num alios quoque politicos dialogos scripserit quod indicare videtur Cicero ad Att. XIII 30: „volo aliquem Olympiae aut ubi visum πολιτικὸν σύλλογον more Dicaearchi" non iam discernere possumus.[1])

Aristotelio more Clearchi quoque Solensis dialogus qui inscribitur Βίοι compositus erat,[2]) nam dialogum hoc

[1]) Passow, opusc. acad. p. 166.

[2]) vel περὶ βίων; titulos enim ad idem opus pertinere apparet, cf. Athen. XV 687 A: ὥς φησὶ Κλέαρχος ἐν τρίτῳ περὶ βίων et Athen. XII 543 C ubi idem habemus argumentum: ὥς ἱστορεῖ Κλέαρχος ἐν τοῖς Βίοις. Porro Athen. XII 514 D: Κλέαρχος δὲ ὁ Σολεὺς ἐν τετάρτῳ Βίων, paullo post in fragmentis eiusdem argumenti 515 E: Κλέαρχος δ' ἐν τῇ τετάρτῃ περὶ βίων. Weber (de Cl. Sol. vita et operibus. Vratisl. 1880) omnia turbavit et confudit. Discernit tres indices (p. 15) ἐν τῷ . . . (τῶν) βίων, ἐν τῷ . . . περὶ βίων, ἐν τοῖς βίοις. Primum et tertium ad idem scriptum historicum pertinere dicit, medium singularis operis et philosophici quidem argumenti titulum esse. Paullo post (p. 44) legimus: „constat omnia fragmenta quorum titulus sit βίοι aut περὶ βίων

scriptum fuisse vel ex paucis fragmentis quae Athenaeus nobis servavit apparet. Cf. fragm. 3 apud Muellerum fragm. hist. graec. II p. 303 Κλέαρχος δ᾽ ἐν δευτέρῳ Βίων. Ὅρα, φησί, τοὺς τὸ κοσμοσάνδαλον ἀνευρόντας Λακεδαιμονίους etc.; fr. 4 νῦν δὲ τῶν ἀνθρώπων οὐχ αἱ ὀσμαὶ μόνον, ὥς φησὶ Κλέαρχος ἐν τρίτῳ περὶ Βίων, ἀλλὰ καὶ αἱ χροαὶ τρυφερὸν ἔχουσαί τι συνεκθηλύνουσι τοὺς μεταχειριζομένους. Ὑμεῖς δ᾽ οἴεσθε τὴν ἁβρότητα χωρὶς ἀρετῆς ἔχειν τι τρυφερόν.... ᾧ κομψός τις, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, ὑπεραλγήσας etc.; fr. 5 καὶ προελθὼν δὲ γράφει· Τοῖς γοῦν πορίσασί τι αὐτῷ ἡδὺ βρῶμα διδοὺς ἆθλα τοῦ πορισθέντος, οὐχ ἑτέραις ἡδύνων ταῦτα τιμαῖς παρετίθει, πολὺ δὲ μᾶλλον αὐτὸς ἀπολαύειν αὐτῶν νοῦν ἔχων· τοῦτο μὲν γάρ ἐστιν ὁ λεγόμενος, οἶμαι, καὶ Διὸς ἅμα καὶ βασιλέως ἐγκέφαλος: fr. 10 εὐλαβητέον οὖν τὴν καλουμένην τροφὴν οὖσαν τῶν βίων ἀνατροπὴν, ἁπάντων τε ὀλέθριον ἡγεῖσθαι τὴν ὕβριν quae verba in fine orationis posita esse videntur. Luculentissimum autem argumentum dialogicae forma est fr. I e primo Βίων libro servatum, in quo voluptas defenditur, cum in omnibus aliis vituperetur, et ita quidem, ut in secundo de mollitie potissimum, in tertio de luxuria vestimentorum, in quarto de libidinosis voluptatibus, in quinto de luxuria ciborum agatur. Iam de iis quoque fragmentis quae adhuc incertae sedis erant melius statui potest. Certe omnia quae Muellerus sub numero 16 collegit ex primo libro fluxerunt, parasitorum enim laudes continent, fr. 18. 22. 23 e quarto libro, fr. 21 e quinto, fr. 24 fortasse ex octavo, de ceteris minus constat. Colloquentes perpetua oratione dixisse ex ipso dialogi argumento apparere mihi videtur. Quot in libros dialogus divisus sit, nescimus neque tamen verisimile est alios quoque βίους in eo tractatos esse. Nec titulus cum hac sententia pugnat, cum pluralis Βίων disputatione illa in utramque partem satis explicetur.

in unum corpus consocianda" et p. 17 ubi argumentum libri περὶ βίων exponit non dubitat ea quoque fragmenta quae ἐκ δευτέρου vel τρίτου Βίων sumpta sunt afferre.

In dialogo porro Γεργίθιος[1]) quoque, Ἐρωτικὰ[2]) περὶ ὕπνου[3]) qui inscribuntur libri compositi esse videntur quorum fragmentis comprobatur quod modo contendimus Clearchum perpetua oratione colloquentes induxisse.

Eundem morem Heraclides Ponticus in dialogo περὶ ἡδονῆς[4]) secutus est qui et ipse Aristotelio more in utram-

[1]) Cf. Athen. VI p. 256 A: καὶ τούτων οὕτως ἔντεχνος καὶ πιθανὴ πρὸς ἅπαντας ἡ ἔντευξις, ὥστ' ἔμοιγε δοκεῖ etc.; 256 C: ὧν ἰατρεῦσαι τὴν ἄγνοιαν οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτό γε νομίζω δεδόσθαι γεγόνασι δὲ παρ' ἡμῖν etc.; 256 D: Εἰς τοῦτο τρυφῆς, ἵνα μὴ ἀθλιότητος εἴπω; 256 E: ἀλλ' ἤδη καὶ τῇ τούτων χρείᾳ μέμψαιτ' ἄν τις τὸ μειράκιον, ὥσπερ εἶπον; 256 F: τριῶν δ' ὄντων ἀνδρῶν δι' οὓς δὴ νῦν ὁ πᾶς λόγος ἐνέστηκε, καὶ τούτων ὄντων ἐπωνύμων παρ' ἡμῖν; 257 B: διό μοι δοκεῖ etc.

[2]) Athen. XII 553 E: Κλ. δὲ ὁ Σολεὺς ἐν τοῖς Ἐρωτικοῖς· Διὰ τί (φησὶ) μετὰ χεῖρας ἄνθη καὶ μῆλα καὶ τὰ τοιαῦτα φέρομεν; XV 669 F: φῄς οὖν, διὰ τί, τῶν ἐστεφανωμένων ἐὰν λύηται ὁ στέφανος, ἐρᾶν λέγονται . . .'. φησὶ Κλ. ἐν πρώτῳ Ἐρωτικῶν.

[3]) Cf. Jos. c. Apion. I 22: Κλ. γὰρ . . . ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ὕπνου βιβλίῳ φησὶν Ἀριστοτέλην τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ περί τινος Ἰουδαίου ταῦτα ἱστορεῖν, αὐτῷ τε τὸν λόγον Ἀριστοτέλει ἀνατίθησι.

[4]) Koepkius (de Chamaeleonte p. 43) eumque secutus Schmidtius (de Her. Pont. dialogis deperditis p. 6 sqq.) hunc librum partem esse operis περὶ δικαιοσύνης (Diog. V 86) putant. Sed haec coniectura cum alia Schmidtii pugnat. Recte enim ostendisse mihi videtur (p. 2 sqq.). Heraclidem quattuor dialogos qui initio catalogi Laertiani enumerantur scripsisse, quo tempore Platonicus erat. Quoniam autem dialogus περὶ ἡδονῆς Aristotelium morem praebet, nequit Platonici illius particula esse. Equidem sub titulo περὶ βίων eum latere statuerim (cf. Dicaearchi περὶ βίων, cuius fragmenta non nisi περὶ ἡδονῆς agunt). Sed iam mihi pugna est cum Ungero qui in Musei Rhenani tomo duodequadragesimo de scriptis Heraclidae Pontici egit et in catalogum eorum apud Diogenem spuria quoque recepta esse censet. Hoc in numero cum alios tum librum περὶ βίων inscriptum ponendum esse, cum argumentum eius ita comparatum sit, ut non nisi post Aristotelem conscriptus esse possit. Quoniam autem Heraclides aequalis, non discipulus Aristotelis fuerit, hunc librum falso ei attribui (p. 491 sq.). Sed ut taceam complures testes disertis verbis Peripateticum eum appellare (cf. Sotionem apud Diogenem V 86, Plutarchum adv. Col. c. XIV ubi Peripateticorum scripta enumerat quibus Platonis φυσικὰ impugnantur, non posse suav. vivi c. 12, Stobaei strom. I p. 580 ed. Heeren) ipsa περὶ ἡδονῆς fragmenta Aristoteliam imitationem

que partem disputavit. Cf. Athen. XII p. 512 A—D et 526 A, 533 C, 536 F—537 B, 552 F., 555 E, F. Hac tamen in re ab Aristotele discessit, quod sibi ipsi nunquam, ut videtur, colloquendi partes tribuit. Cf. Cic. ad Att. 13, 19: „si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis litteris admoneor, meum κωφὸν πρόςωπον esset. Hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis etc.; ad Quint. fr. III 6 . . . multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loquerer, praesertim cum essem non Heraclides Ponticus sed consularis et is qui maximis versatus in re publica rebus essem. Quae tam antiquis hominibus attribuerem, ea visum iri ficta esse.“ Cum hac personarum electione illud cohaeret, quod dialogis suis multas fabulas inseruit. Cf. Cic. de deor. natur. I § 34: „ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros“, et Plut. de aud. poet. c. 1: οὐ γὰρ μόνον τὰ Αἰσώπεια μυθάρια καὶ τὰς ποιητικὰς ὑποθέσεις ἀλλὰ [1]) καὶ τὸν Ἄβαριν [2]) τὸν Ἡρακλείδου καὶ τὸν Λύκωνα

praebent. Itaque nulla iam causa exstat librum περὶ βίων ei abiudicandi neque Schraderi coniectura opus est (Philol. 45, 241). At legitur inter physicos. Hoc neminem, spero, offendet qui miseram totius vitae compositionem perspexerit. Ut unum afferam: quae leguntur l. 40 ed. Cobetianae ἀλλὰ καὶ γεωμετρικά ἐστιν αὐτοῦ καὶ διαλεκτικά poni debebant post lineam 34.

[1]) Sic enim traditum est neque video cur haec scriptura omittenda sit; verba τὰ περι — μυθολογίᾳ principale dialogi argumentum indicare videntur.

[2]) Abaridem dialogum esse negat Ungerus l. l. 501, quod in catalogo Diogenis qui omnes ceteros affert, non commemoratus sit. Sed ut taceam de titulo, coniunctio huius libri cum Aristonis Lycone verisimile reddit, dialogum eum esse. Neque tamen opus est Ungeri sententiam, omnes scilicet dialogos H. in catalogo enumeratos esse reicere. Meminerimus enim propriam esse Ἡρακλειδείων duplicem inscriptionem quid quod Abaris altera eius pars est, altera in catalogo exstat. Neque iam est difficilis inventu, ipse Plutarchi locus eam indicare videtur; τὰ περὶ ψυχῆς δόγματα principale dialogi argumentum praebent, si recte locum interpretatus sum; in catalogo duos huius-

τὸν Ἀρίστωνος διερχόμενοι, τὰ περὶ τῶν ψυχῶν δόγματα μεμιγμένα μυθολογίᾳ, μεθ' ἡδονῆς ἐνθουσιῶσι. Huc referendus est Ζωροάστρης quoque dialogus cuius Plutarchus (adv. Col. c. 14) mentionem facit et Dicaearchi κατάβασις εἰς Τροφωνίου (Athen. XIII 594 E, XIV 641 E. Cic. ad Att. XIII 31—33). De Aristonis Lycone, cf. Ritschl. Mus. Rhen. I p. 195.

Omnino Peripatetici in personis eligendis Platonicum potius morem secuti esse videntur, siquidem ex titulis de personis conicere licet, cf. Demetrii Phalerei Κλέωνα, Σωκράτην, Ἀρταξέρξην, Ἀριστείδην, Διονύσιον (Diog. 5, 81), Heraclidae Κλεινίαν, Πρωταγόραν (Diog. 5, 87. 88), Diog. prooem. § 12 φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι τῷ Σικυωνίων τυράννῳ ἢ Φλιασίων, καθά φησι Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ περὶ τῆς ἄπνου (Cic. Tusc. V § 8, Diog. VIII 8, Iamblich. de Pyth. vit. § 58), Strabo II p. 98: Ἡρακλείδην δὲ τὸν Ποντικὸν ἐν διαλόγῳ ποιεῖν ἀφιγμένον παρὰ Γέλωνι μαγόν τινα περιπλεῦσαι φάσκοντα (dicit Posidonius), Praxiphanis περὶ ἱστορίας dialogum, in quo Platonem, comicum poetam, Agathonem, Niceratum, Choerilum, Melanippidem, Thucydidem colloquentes induxit (Hirzel, Herm. XIII 46), et Diog. Laert. III 8: „ὁ δ' οὖν φιλόσοφος (Πλάτων) καὶ Ἰσοκράτει φίλος ἦν καὶ αὐτῶν Πραξιφάνης συνέγραψε διατριβήν τινα περὶ ποιητῶν γενομένων ἐν ἀγρῷ παρὰ Πλάτωνι ἐπιξενωθέντος τοῦ Ἰσοκράτους."

Sed paullulum ad Heraclidem redeamus necesse est, quod proprium dialogi genus excoluit. Legimus enim apud Ciceronem (ep. ad Att. XV 27, 2): „librum tibi celeriter mittam „de gloria"; excudam aliquid Ἡρακλείδειον quod lateat in thesauris tuis" et XVI 2, 6: „Ἡρακλείδειον, si Brundisium salvi, adoriemur." In dialogi autem forma Ἡρακλείδεια composita fuisse apparet ex epist. ad Att. XV 13, 3: „Varronis διάλογον exspecto. Iam probo Ἡρακλείδειον,

---

modi libros invenimus: περὶ ψυχῆς καὶ κατ' ἰδίαν περὶ ψυχῆς — quid quod alterum cum Abaride coniungimus? Sic duo quoque libri περὶ ψυχῆς facillime explicantur; alter διαλογικός, alter συνταγματικός fuit.

praesertim cum tanto opere delectere", et XVI 3, 1: „quod vero scribis te magis atque magis delectare „o Tite, si quid", auges mihi scribendi alacritatem", unde simul discimus Ciceronem de libro qui Cato maior sive de senectute inscribitur loqui. Iam cum locus modo allatus nos doceat Varronem dialogos composuisse et tituli logistoricorum plane similes sint inscriptioni dialogi Ciceroniani, optime iure concludimus Varronem in logistoricis suis Heraclidae dialogicum genus imitatum esse, quod quale fuerit Ciceronis Ἡρακλείδεια: Cato maior sive de senectute et Laelius sive de amicitia ostendunt.[1]) (Cf. Riese Varr. sat. men. rel. p. 34 sq.)

Multo etiam magis quam Aristoteles eiusque sectatores Stoici a Platonico more recedebant, cum ἀόριστα πρόσωπα in dialogis suis inducebant et „τὴν πρέπουσαν ἠθοποιίαν" plane neglegebant. Hunc enim morem eorum proprium fuisse ex Senecae dialogis et Ciceronis scriptis, in quibus aut Stoicos loquentes facit (de divin. I) aut Stoicorum more disputat (Stoic. parad.) satis apparet. Huius modi dialogi fuerint Zenonis διατριβαὶ[2]) (Diog. VII 34. Sext. Pyrrhon. III 245, Math. XI 190), Persaei διατριβῶν. ἀπομνημονεύματα (Diog. VI 36) Μισοκύων (Suidas), Aristonis περὶ τῶν Ζήνωνος δογμάτων διάλογοι, ἐρωτικαὶ διατριβαὶ (Diog. VII 163), Sphaeri διάλογοι ἐρωτικοὶ (Diog. VII 178), Herilli διάλογοι[3]) (Diog. VII 166).

---

[1]) Tales Heraclidae dialogi fuerint περὶ τοῦ ῥητορεύειν ἢ Πρωταγόρας, ἐρωτικὸς ἢ Κλεινίας (sic cum Roulesio scribendum mihi videtur); similiter legerim περὶ τῆς ψυχῆς ἢ Ἄβαρις (Plut.) περὶ τῶν ἐν οὐρανῷ ἢ Ζωροάστρης (Plut.).

[2]) vel ἀπομνημονεύματα Κράτητος Diog. l. l. § 4 vel χρεῖαι Diog. VI 91; titulos enim ad idem opus pertinere non sine specie veri conjecit Zeller III a 32 not.

[3]) Hunc titulum ad libros antecedentes inde a Νομοθέτης pertinere putat Hirzelius Unters. zu Cic. phil. Schr. II¹ 47.

Neque tamen Zeno hunc morem ipse invenit, sed a Stilpone magistro (Diog. VII 120) recepit cuius dialogi nescio an ob hunc ipsum „ψυχροὶ“ appellati sint. Nam ut taceam mirum esse, quod dictum illud de Zenone Stilponis auditore dialogorum enumerationem subsequitur, cum ceteri eius discipuli prius (§ 113, 114) commemorentur, facillime si Stilponi inventionem huius generis tribuimus, cynicos quoque idem adhibuisse explicatur, ut Bion in Teletis περὶ αὐταρκείας (Stob. flor. I 123 Mein.) Teles περὶ εὐπαθείας, περὶ περιστάσεων, περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι IV 164. Omnis autem dubitatio tollitur Teletis περὶ φυγῆς (II 65) collato, in quo fragmentum Stilponis hoc more compositum nobis servatum est.[1]) Quodammodo igitur corrigenda sunt quae Wilamowitzius in egregio libro de Antigono Carystio p. 307 sqq. de ortu huius moris disputabat; neque illud recte contendisse mihi videtur commune hoc genus omnibus posteris philosophis fuisse, immo quantum equidem scio soli Stoici (et Cynici interdum) eo usi sunt. Omnino iure mihi videor statuere philosophorum sectas ut suis quamque doctrinis ita scribendi quoque genere usas esse. Stoici certe nunquam Aristotelio more dialogos composuerunt, neque Peripateticum novi neque Academicum ullum qui Stoicorum morem receperit. Cynici soli postea diversa dialogi genera inter se miscuisse videntur, siquidem fragmenta quae sub Teletis nomine feruntur (Stob. flor. III 200, 211; IV 164 Mein.) iam ab ipso in hanc formam redacta sunt. Ibi enim cum Stoicorum more eam dialogi formam coniunctam habemus quam Academici et Peripatetici praecipue post Aristotelem adhibuisse videntur: ponebatur scilicet de quo quis audire volebat, tum statim perpetua oratione contra disputabatur. Cf. Stob. III 200

[1]) Cf. etiam Ath. IV p. 162 B: . . . Περσαίου τε τοῦ καλοῦ φιλοσόφου Συμποτικοὺς διαλόγους, συντεθέντας ἐκ τῶν Στίλπωνος καὶ Ζήνωνος ἀπομνημονευμάτων.

ἡ πενία κωλύει πρὸς τὸ φιλοσοφεῖν, ὁ δὲ πλοῦτος εἰς ταῦτα χρήσιμον. οὐκ εὖ etc. III 211 δοκεῖ μοὶ ἡ τῶν χρημάτων κτῆσις σπάνεως καὶ ἐνδείας παραλύειν. καὶ πῶς; etc. IV 164 κρεῖττον φασὶ τὸ δοκεῖν δίκαιον εἶναι τοῦ εἶναι· μὴ καὶ τὸ δοκεῖν ἀγαθὸν εἶναι τοῦ εἶναι κρεῖττόν ἐστιν; ἀμέλει etc. Hunc autem morem philosophorum illorum proprium fuisse disertis verbis Cicero testatur de fin. II 2 „apud ceteros autem philosophos qui quaesivit aliquid tacet, quod quidem iam fit in Academia ubi enim is qui audire volt ita dixit: „voluptas mihi videtur esse summum bonum“, perpetua oratione contra disputatur, ut facile intellegi possit eos qui aliquid sibi videri dicant non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria.“ [1]) Tali ex dialogo fluxerit quod legimus apud Gellium noct. Att. I 3, 8: et hic autem Chilo ... quonam usque debuerit contra legem contraque ius pro amico progredi, dubitavit, ... et alii deinceps multi philosophiae sectatores ut in libris eorum scriptum est, satis satisque sollicite quaesiverunt, ut verbis quae scripta sunt ipsis utar: εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα. [2])

At, inquies, nonne haec certant cum illo quod modo contendisti suum quamque sectam morem excoluisse? en habes eundem apud Academicos et Peripateticos. — Neque paullo celerius me illud antea statuisse possum negare; Sceptici quoque et Academici et Pyrrhonei Peripateticorum morem imitati sunt summo studio in utramque partem disputantes cf. Cic. de orat. III 21, 80; deor. nat. I 11; Lucian. Bis accus. c. 15 sqq., Diog. IX 73 et IV 28 ubi Arcesilao vel inventionem huius moris attribuit. Quem

---

[1]) In Tusculanis disputationibus Cicero veterem et Socraticam „rationem contra alterius opinionem disserendi“ retinere studet, sed hoc genus nimis ab illo tempore studiisque Ciceronis abhorrebat, semper mox ad recentius illud Academicorum transit.

[2]) Conferendus quoque est Cicero epist. ad Att. IX 4 ubi permultas eiusmodi θέσεις proponit.

qua de causa receperint nemo non videt: aptissimus erat ad eorum doctrinam. Cf. Euseb. XIV 4, 16. Sext. Pyrrh. II 130, III 65.

Novum dialogi genus in litteras induxit Timon, et ipse scepticus philosophus qui Diogene teste (IX 111) tres sillorum libros composuit, ἐν οἷς ὡς ἂν σκεπτικὸς ὢν πάντας λοιδορεῖ καὶ σιλλαίνει τοὺς δογματικοὺς ἐν παρῳδίας εἴδει· ὧν τὸ μὲν πρῶτον αὐτοδιήγητον ἔχει τὴν ἑρμηνείαν, τὸ δὲ δεύτερον καὶ τρίτον ἐν διαλόγου σχήματι.[1]) Omnes quos adhuc tractavimus dialogorum scriptores prosa oratione usi erant crebris quidem versibus distincta. Timon hunc morem primus videtur omisisse, in dialogo ἔπη composuit. Neque hoc solum invenit; sillos cum ἐν παρῳδίας εἴδει scribebat omnesque adversarios acerbissimo sale conspergebat, prorsus a priorum more recessit suosque dialogos ad similitudinem potius satirarum conformavit quarum postea auctor exstitit Menippus Gadarensis. Hanc quoque dialogi formam saepius adhibuisse Varronis Satirae Menippeae et Senecae ἀποκολοκύντωσις (Buecheler, Mus. Rhen. XIV 419 sqq.) docent; quae scurrilia argumenta cynici in eiusmodi satiris tractaverint, Meleagri Λεκίθου καὶ φακῆς σύγκρισις (Athen. IV 157 B), quacum conferas velim Asellii Sabini dialogum in quo boleti et ficedulae et ostreae et turdi certamen induxerat (Sueton Tiber. 42) et testamentum porcelli (Buecheler, Petron. p. 231).

Inde a secundo fere saeculo dialogus nescio qua de causa non iam ea scribendi forma fuisse videtur qua philosophi praecipue ad libros componendos utebantur, quod recte monuit Hirzelius [2]); tamen idem vir doctissimus Antiochi Sosum dialogum fuisse longius demonstrare

---

[1]) De sillorum dispositione cf. Wachsmuth, sillogr. graec. rell. p. 39 sqq. In dialogo porro compositi erant indalmi (Wachsm. p. 22) et Python (Wachsm. p. 28).

[2]) Unters. z. Cic. phil. Schr. III 265.

studuit. Neque tamen mihi persuasit. Contemplemur enim dialogi compositionem qualem ipse Hirzelius describit. Initio scepticorum doctrina quam accuratissime refutatur, sequitur expositio eiusdem doctrinae quae iterum refellitur, neque aliter conformata est tertia pars; aliae dubitationes et ipsae ad irritum rediguntur. Tantum autem abest, ut ea quae contra Antiochum in secunda et tertia parte „dialogi" proferuntur nova sint, ita ut progressus sententiarum appareat, ut maiore ex parte iam antea allata et refutata sint. Sed ne contra Antiochum quidem dicta sunt (quod ipse Hirzelius animadvertit p. 264), nullam omnino eius rationem habent: talis compositio quomodo dialogo aptior sit, equidem non video. Porro ab Aristotelio more quem hoc in „dialogo" adhibitum esse Hirzelius affirmat alienum fuisse videtur, quod colloquentes saepius de eadem re pugnabant, ita ut unus ex iis iterum atque iterum eiusdem adversarii dubitationes repelleret. In Ciceronis enim dialogis (Academ. de fin. de deor. nat. de div.) qui soli accuratiorem nobis illius moris notitiam praebent sermo plerumque ita institutus est, ut semel tantum suam quisque sententiam perpetua oratione exponat; si quis saepius loquitur (de deor. nat.) diversos impugnat adversarios. Titulus denique „dialogi", siquidem Sosus is liber est quo Cicero ad Academica conscribenda usus est, nullo modo explicari potest; quam enim causam Hirzelius attulit Sosum scilicet in prooemiis librorum saepius appellari Cicero ipse refellit qui Antiochum librum edidisse tradit.

Quae cum ita sint, persuadere mihi nequeo Sosum dialogum fuisse. in eoque acquiescendum videtur nullum nobis dialogorum auctorem usque ad Plutarchum conservatum esse qui, quantum scio, primus studium diu omissum suscitavit. Usus est et dramatico et diegematico genere, priore in dialogis qui inscribuntur ὑγιεινὰ παραγγέλ-

ματα, περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν. περὶ τῆς ἀοργησίας. πότερον τῶν ζώων φρονιμότερα τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα. περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι.

Proprium est eorum, quod colloquentes perpauci sunt et unus totum argumentum decantat vel ut in libro πότερον τῶν ζώων etc. duo in utramque partem disputant; ceteri orationem non interrumpunt nisi ut ad aliam partem eam traducant. [1])

In nonnullis dialogis utrumque genus Platonico more adhibuit (ἐρωτικὸς, π. τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν Πυθίαν, π. τ. Σωκράτους δαιμονίου, similiter in dialogis περὶ τῶν ἐκλειπομένων χρηστηρίων. π. τ. ἐμφαινομένου προςώπου τοῦ κύκλου τῆς σελήνης. συμπόσιον τῶν ἑπτὰ σοφῶν); ceteros Theophrasteo more a praefatione incohat quae cum dialogi argumento non cohaeret et in dialogo „συμποσιακὰ προβλήματα“ vel singulis libris prooemia praemittit. Raro sibi ipsi dicendi partes tribuit, plerumque propinquos aut familiares, solo in Convivio mortuos colloquentes inducit.

Personae eius semper fere perpetua oratione loquuntur omnesque pariter sermonis participes sunt, in duobus tamen dialogis (πρὸς Κολώτην, ἐρωτικὸς) principatus penes unum est.

Videmus igitur Plutarchum diversissimas dialogi formas adhibuisse diversissimasque quaestiones in libris suis tractasse; coniungit Platonicam hilaritatem et venustatem cum Aristotelia doctrina, Theophrastum et Heraclidem non minus imitatur quam Platonem et Aristotelem, ne Stoicorum quidem mos ignotus ei est. [2]) Sic repraesentat nobis omnes fere vicissitudines quas ars dialogorum componendorum per quattuor saecula subierit.

Multo magis, si externam dialogorum speciem contemplamur, Platonem secutus est Lucianus. Omnes fere

[1]) π. τ. κοιν. ἐνν. c. 16. 38; ποτ. τ. ζώων c. 23.

[2]) Cf. πρὸς Κολ. c. 9 et 15.

dialogos in dramatico genere composuit, bis utroque usus est (φιλοψευδής, συμπόσιον), libris „Σκύθης“ et „Ἁρμονίδης“ sermones inserit, dialogo „Νιγρῖνος“ inscripto vel prooemium praemittit, tum pergit in dramatico genere. Nunquam ipse prodit, plerumque Lycini personam induit; colloquentes facit et aequales et mortuos et deos et fabulosos homines (cf. etiam Plutarchi περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι); vel Iustitiam, Academicam, Dialogum, gallum (ἐνύπνιον), lucernam et lectum (κατάπλους) inducit. Menippum secutus in dialogis suis hominum errores et vanitatem impugnat, non tamen dialectice ut Plato, sed comicorum poetarum more facetiis et dicacitate eos aggreditur saepiusque ipse hoc invento se jactat, cf. πρὸς τὸν εἰπόντα Προμήθευς εἶ ἐν λόγοις c. 6: οὐ πάνυ γοῦν συνήθη καὶ φίλα ἐξ ἀρχῆς ἦν ὁ διάλογος καὶ ἡ κωμῳδία, εἴ γε ὁ μὲν οἴκοι καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν ἰδίᾳ ἐν τοῖς περιπάτοις μετ᾽ ὀλίγων τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ἡ δὲ παραδοῦσα τῷ Διονύσῳ ἑαυτὴν θεάτρῳ ὡμίλει καὶ συνέπαιζε καὶ ἐγελωτοποίει καὶ ἐπέσκωπτε καὶ ἐν ῥύθμῳ ἔβαινε πρὸς αὐλὸν: τὰ δὲ πολλὰ τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύουσα . . . ὁ διάλογος δὲ σεμνοτάτας ἐποιεῖτο τὰς συνουσίας φύσεώς τέ περι καὶ ἀρετῆς φιλοσοφῶν . . . καὶ ὅμως ἐτολμήσαμεν ἡμεῖς τὰ οὕτως ἔχοντα πρὸς ἄλληλα συναγαγεῖν οὐδὲ εὐμαρῶς ἀνεχόμενα τὴν κοινωνίαν“ et Bis accus. c. 33 sqq. ubi Lucianus sub Syri persona longius etiam et accuratius de more suo agit.

Nec post Lucianum deerant qui in dialogi forma libros composuerunt, praecipue patres ecclesiastici qui dicuntur hoc genere usi sunt, cf. Iustini dialogum cum Tryphone Iudaeo, Gregorii Nysseni περὶ ψυχῆς καὶ ἀναστάσεως, Iohannis Chrysostomi περὶ ἱερωσύνης, Macarii Magnetis Ἀποκριτικὸν, Aeneae Gazensis Θεόφραστον, Methodii περὶ ἀναστάσεως, περὶ γεννητῶν, alios quorum tamen libros non iam in animo est describere. Transeamus igitur ad alteram disputationis partem.

Romani ut in omnibus fere litterarum generibus Graecorum imitatores erant, dialogi quoque formam ab iis receperunt.

Primi quantum scio M. Iunius Brutus et C. Scribonius Curio dialogos composuerunt. Alter teste Cicerone (de orat. II 223) opus suum de iure civili in tres libros divisit, quorum in prooemiis scaenae descriptae erant, sibique ipsi dicendi partes tribuit. Curio, anno 678 a. u. c. consul, in dialogi forma librum contra Caesarem edidit, in quo secum Pansa et Cicerone colloquentem fecit adeoque temporis rationem neglexit, ut res quasdam quae multis annis postquam sermo habitus esse fingebatur a Caesare in Gallia gestae erant, referret (cf. Cic. Brut. 218 sq.).

Eodem fere tempore M. Terentius Varro ad exemplum Heraclidae et Menippi logistoricos et Satiras Menippeas scripsit quae nonnunquam in dialogo versantur (cf. Riese Varr. sat. Men. p. 20 sqq., 34 sq.). Opus quoque de rustica re quod inscribitur hanc compositionis formam praebet, distributum est in tres libros quibus prooemia praemissa sunt, auctor ipse cum aequalibus prodit, scaena Aristotelio more mutatur.

Quoniam autem haec scripta fere tota periere neque coniciendo multum nos assecuturos esse putamus, statim ad Ciceronem liceat transire qui cum saepissime tum maxima cum varietate dialogo usus est. Sed priusquam varietatem istam compositionis accuratius examinemus, qua de causa ipsam dialogi formam elegerit videamus. Hac in quaestione multum nos adiuvant epistolae ad Atticum missae quae fata nobis Academicorum produnt. Initio enim duobus libris ea comprehenderat et Catulum, Hortensium Lucullum disputantes induxerat. Sed cum Academica sua in eorum personas minus cadere videret, quod nota erat hominibus non illorum quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία, eosdem illos sermones ad Catonem

et Brutum transtulit. Ab Attico vero monitus Marcum Terentium Varronem qui Ciceroni magnam et gravem προςφώνησιν denuntiaverat moleste ferre, quod sibi in Ciceronis libris locus nondum datus esset, totam illam Ἀκαδημικὴν σύνταξιν ab illis in Varronem transtulit et ex duobus libris quattuor confecit.[1])

En habemus unam etsi non unicam causam: dialogi forma apta erat ad gratias referendas. Amicos de summis rebus collequentes inducere eorumque memoriam ingenuis studiis laudatam posteris tradere, sane haec gratia iucundissima erat et praecipue Romanis eius temporis scriptoribus.[2])

Itaque Academicorum primas partes Varroni dedit, in dialogo „de Oratore" Crassum Antonium Scaevolam magistros colloquentes fecit, in dialogo „de finibus" Triarium (ad Att. XII 28, 3) induxit, in Timaeo Nigidium Figulum, socium in coniuratione Catilinaria opprimenda (ad fam. IV 13), et Cratippum, familiarem suum (de div. I § 5) et praeceptorem filii (de off. I 1, II 8; ad fam. XII 16, 2) in compluribus Atticum et Quintum fratrem. Ob eandem causam Bruto cui antea non admodum faverat[3]) in homonymo dialogo dicendi partes tribuit eodem tempore quo amicitiam cum eo inire coepit[4]) neque dubitavit vel Hirtium Pansam adversarium[5]) colloquentem inducere, ut gratiam eius sibi conciliaret. Sane ita cum nonnullos laudibus ornabat, verendum ei erat, ne ceterorum quos neglexit invidiam in se verteret,[6]) verendum porro, ne

---

[1]) Cf. ad Att. XIII 12, 13, 16 etc.

[2]) Cf. ad Att. XIII 10, 2; 12, 3; 13; 18; 19, 3, ad fam. IX 8 Bernays, Dial. d. Arist. p. 4.

[3]) Drumann III 652, IV 27.

[4]) Drumann VI 289.

[5]) Drumann VI 353.

[6]) Cf. ad Att. XIII 19, 4 ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni-

aequalium aliquem offenderet,[1]) tamen hanc blandiendi occassionem sibi non praetermittendam esse putavit, praesertim cum ne odium quidem illud subiret, siquidem sub aliena persona laudes protulit. Ciceronis dialogi pleni sunt eiusmodi blanditiis neque opus est exempla afferre; hoc unum mihi liceat commemorare Ciceronem hac occasione saepius usum esse ad suas ipsius laudes pronuntiandas cf. de Orat. I § 95: ego enim quantum auguror coniectura quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando qui et studio acriore quam nos sumus atque fuimus et otio et facultate discendi maiore ac maturiore et labore atque industria superiore, cum se ad audiendum legendum scribendumque dederit, exsistat talis qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit; qui tamen mea sententia aut hic est iam Crassus, aut si quis pari fuerit ingenio pluraque quam hic et audierit et lectitarit et scripserit, paulum huic aliquid addere."[2])

Neque tamen haec causa tantum momenti habet, ut Ciceronis consilium in dialogis componendis satis explicet. Altera accedit quae cum philosophandi eius ratione cohaeret. Nam cum persuasum ei esset neminem veritatem invenisse, ipsa Academiae praecepta eum vetuerunt philosophorum sententias enarrare; neque enim facere potuit quin doctrinas eorum recenseret suamque pronuntiaret. Contra dialogi forma singulis disciplinis consilioque Ciceronis satisfecit qui „rei publicae causa philosophiam suis hominibus explicandam putavit, magni existi-

---

darem; ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. Cf. etiam XIII 13 et 18.

[1]) ad Quint. fratrem III, 5 2 ego autem id ipsum tum eram secutus ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam; ad Att. XII 12 ad antiquos igitur, ἀνεμέσητον γάρ.

[2]) Cf. etiam Brut. §§ 150, 156, 157, 162 etc., de fin. III 40 sqq., V 96 Plato Symp. Charm. etc.

mans interesse ad decus et ad laudem civitatis res tam graves tamque praeclaras latinis etiam litteris contineri [1]), quique curiosius eos facere dixit qui quid de quaque re ipse sentiret requirerent. [2]) Itaque in multis dialogis sibi ipsi nullas sermonis partes tribuit, nullam fere quaestionem ad certum finem perducit, alium coarguentem facit: contentus est commemorasse quae de quaque re philosophorum sint sententiae. Civibus suis occasionem vult praebere diversarum scholarum doctrinas cognoscendi suumque iudicium adhibendi; quaerenda esse rationis momenta, auctoritatem aliorum removendam dicit, et alio loco: „verum enim invenire volumus, non tanquam adversarium aliquem convincere.“ [3]).

Itaque quamquam Platonis exemplum imitatur, cum in nonnullis dialogis ipse non prodeat, nusquam tamen aliena persona utitur, ut adversarios refellat. Plato impugnat plerumque acerrime colloquentes sub persona Socratis, ut nihil fere scire videantur, quaestiones ad certum finem non perveniunt, quod definitiones prolatae a Socrate redarguuntur; Ciceronis nihil interest aliquid verum statuere aut falsum evincere; omnibus veris falsa omnibusque falsis vera quaedam adiuncta ei videntur tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et assentiendi nota. [4]) Complures colloquentes inducit, ut eadem res multis a partibus illustretur, et quid verum sit, quid falsum comparatione diversarum sententiarum eruatur.

Hac in re Aristotelem sequitur eumque summopere laudat, quod de omnibus rebus in utramque partem dicere possit, de Orat. III 80: „sin aliquis exstiterit qui Aristotelio

[1]) De deor. nat. I 7.
[2]) l. l. § 10.
[3]) De fin. I 13.
[4]) De deor. nat. I 12.

more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes praeceptis illius cognitis explicare . . . is sit verus, is perfectus, is solus orator."

Iterum hunc locum attuli, quod tertiam et praecipuam causam mihi indicare videtur quae Ciceroni formam dialogi commendabat. Haec enim in utramque partem disputatio qua eadem quae antea accuratissime artificiosissime politissime exstruxerat post multo cum maiore vel artis exercitatione vel iudicii subtilitate convellebat, oratori Ciceroni valde placuit. Cum dialogos componebat, eloquentiae studio indulgebat. Per totam vitam ei propositum erat, ut gloriam perfecti oratoris sibi pararet, ad eloquentiam laudandam amplissimum eorum qui nobis conservati sunt dialogorum confecit, eloquentia ex eius sententia philosophiam continebat; nimirum in libris scribendis ea forma utebatur quae ingenium et delectaret et exerceret. Cf. Tusc. II 9: itaque semper mihi Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset quid in quaque re verisimile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio qua princeps usus est Aristoteles.[1])

Iam id quoque intellegimus cur Cicero ad Aristotelis potius quam Platonis morem sese applicaverit. Saepius eorum se libros neglegere fatetur qui neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate scribere possint; ubertatem desiderat et copiam sententiarum et verborum quae lectorem alliciant atque delectent. Apparet autem Platonis morem in singulis insistendi longioresque orationes respuendi plane a Ciceronis studiis oratoriis abhorruisse. Quamquam igitur Platonem summopere laudat et saepius

---

[1]) Cf. etiam de fato § 3.

Platonicum dialogi genus imitari conatur, semper tamen hoc conciso et brevi genere relicto ad oratoriam illam Aristotelis formam se revocat, et ut Peripateticorum philosophia ei maxime placebat, quod studio eloquentiae favebat, eadem de causa illorum dialogi formam imitandam sibi sumpsit.[1])

Iam si singulos dialogos persequimur, Ciceronem non solum disserendi formam, sed extrema quoque compositionis lineamenta ab Aristotele mutuatum esse videmus; hic enim primus prooemiis usus est (ad Att. IV 16, 2), ita tamen, ut causas personarum sermonumque explicaret, cum Cicero in iis de suis quoque rebus loquatur. Aristoteles dialogum in complures partes diviserat saepius scaenam mutando; Cicero eum imitatur[2]) eoque progreditur, ut vel sine scaenae mutatione dialogum divellat in libros (deor. nat. de fin. II. IV). Qui cum prooemiis careant, optimo iure concluditur prooemiorum ortum artissime cum scaenae mutatione cohaerere.[3]) Quoniam autem Aristoteles in singulis libris prooemiis usus est, scaenam in singulis mutaverit oportet.

Supra iam exposuimus Aristotelem Platonicum morem abiecisse, ut sermonem melius imitaretur, ita scilicet ut solitum temporis modum non excederet. Platoni ut persuasum erat veritatem non posse nisi dialectica arte inveniri omnino non licuit alia scribendi forma alioque dialogico genere uti. Hoc autem genus plane abhorrebat

---

[1]) Cf. Tusc. I § 7: „sed ut Aristoteles ... cum motus esset Isocratis rhetoris gloria dicere docere etiam coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere, sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac maiore et uberiore arte versari; hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere.

[2]) de fin. Tusc. disp. de Oratore, de divin.; sermonem quoque de deorum natura primum per tres dies distribuisse videtur, ut ex verbis „hesterno die“ II 73 et „nudius tertius“ III 18 suspicari licet.

[3]) Birt. Ant. Buchw. 475.

a divulsione dialogi neque unquam aptam occasionem praebebat sermonem interrumpendi. Aristoteles autem qui in dialogis suis non tam inquisivisse quam docuisse videtur ob eamque causam a Platonico more interrogandi et respondendi recessit facile post longam orationem quam alia exceptura erat sermonem interrupit neque artificiosam compositionem sui dialogi admodum laesit. Num eo quod personas suas sententias perpetua oratione decantantes fecit, melius sermonem imitatus sit, alia est quaestio, certe hoc modo occasio data erat dialogum in libros distribuendi. Cicero ne in hac quidem innovatione Aristotelis acquievit: vel sine scaenae mutatione dialogos in libros divisit.

Iam meminerimus quo consilio philosophiam tractaverit; non suam sententiam pronuntiare vult, sed quid summi philosophi de singulis quaestionibus cogitaverint exponere. Nec contentus est enarrando, ab utraque parte de unaquaque agit. Atque cum hac in utramque partem disputatione distributio illa in libros artissime coniuncta est. Plerumque enim in binis libris unius philosophi sententia de aliqua re tractatur[1]) nonnunquam idem liber et invectivam et defensionem continet.[2]) Ubi Cicero minus in utramque partem disputat, alio consilio dialogos distribuit, semper autem singuli libri certo argumento definiuntur.

Minora eius scripta (Laelius[3]), Cato maior[4]), Brutus, de fato) ita composita sunt, ut unus e colloquentibus

---

[1]) de fin. I, II, III, IV, deor. nat. II, III, de divin. Acad. poster.

[2]) Acad. prior. de fin. V, deor. nat. I Hortensius.

[3]) Hunc et sequentem dialogum Heraclidae morem imitari demonstravit Riesius Varr. sat. Men. p. 34.

[4]) De eodem argumento multo post, ut videtur, Iuncus quidam dialogum scripsit cuius fragmenta nobis conservata sunt in Stobaei florilegio. Scriptus fuisse videtur in dramatico genere; colloquuntur perpetua oratione usi νέος τις et γέρων. Prior adulescens crimina illa senectutis quae ex Ciceronis libro nota sunt pronuntiat: senectutem

principatum teneat, ceteri ei occasionem dicendi praebent neque interrumpunt orationem nisi ut ad aliam partem eam traducant cf. Lael. § 25. 33. Brut. 52. 122. 233 etc.; cf. etiam Tusc. disp. I 82, II 42, III 12, IV 33, V 73 de Orat. I 205, de fin. IV 44 etc.; vel ut id dicant quod princeps pronuntiare dubitat cf. praecipue Brutum.

Saepius adversarius ἀόριστον πρόσωπον est cf. de fin. V 69 parad. Stoic. §§ 23, 24, 32 etc. divin. I 24, II 67. 68. 69 etc. Cato m. § 65, Tusc. disp. III 48 etc. aut Platonico more is qui iamdudum mortuus est cf. de fin. II 22, IV 61, Tusc. disp. III 37, de div. I 23 sq. Similiter Platonem imitatur, cum nonnunquam ex diegematico genere ad dramaticum transit (Tusc. disp. Cato. Laelius) aut de fin. II 18 Torquatum respondere recusantem facit (cf. Plat. Protag.), aut innumerabilibus locis versus immiscet. Cf. Tusc. disp. II 26 „animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verum tamen versus ab eis admisceri orationi. . . . verti etiam multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis latina oratio careret.“ Plane autem abhorret a Platonico more, quod in initio librorum totum argumentum disponit Laelius § 16, Cato m. § 15. deor. nat. II 3, nec minus quod deor. nat. III 94 dialogum de divinatione praenuntiat, in quo diversae prodeunt personae, cum Plato hoc non faciat, nisi easdem inducturus (Theaet. Soph. Pol.).

---

esse molestam, non multum abesse a morte, abundare curis et morbis, carere voluptatibus, honoribus, amicis. (Stob. fl. IV 83 Mein.) Contra quae ita disputat senex (l. l. 91), ut primum quidem neget haec omnia senectutis propria esse, deinde laudet φιλόσοφον ἄνδρα quem quando hac de re disputantem sese audivisse dicit. Cum hoc fragmento artissime illud cohaerere quod legimus p. 71 ipsa verba indicant. Cf. p. 94: καὶ τὰ μὲν ἀκοῇ μοι παραδοθέντα ὡς διὰ βραχέων εἶπον οὕτως ἔχει et p. 71: μέτειμι δὲ ἐπὶ τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην. Hoc in fragmento singula deinceps crimina senex refellit, ultimo loco paullo accuratius τὸν περὶ τοῦ θανάτου φόβον qui quam vanus sit et futtilis quarto quoque fragmento (p. 119) ostenditur.

Maxime eum imitandum sibi sumpsit in dialogis „de Republica" et „de Legibus" quorum vel tituli Platonicorum nos commonefaciunt scriptorum. Ac primum de re publica agamus. Satis notum est quantum diligentiae in hoc dialogo perficiendo posuerit; nam postquam scribere instituit, saepius scribendi totum consilium rationemque mutavit. Primum sermonem in novem dies totidemque libros, deinde in sex libros triduumque distribuerat, et dicendi partes Laelio Scipioni Philo Tuberoni aliis qui iam mortui erant, dederat. Tum Sallustio monente multo maiore auctoritate illis de rebus dici posse, si ipse loqueretur de re publica, ad sua tempora Cicero sermonem transtulit et se cum Quinto fratre colloquentem induxit. Sed iam tum eum huius rei paenituisse videtur, ut ex ipsius verbis suspicari licet ad Quint. fr. III 5, 2: puto enim te existimaturum a me illos libros non sine aliquo meo stomacho esse relictos, et mox prius compositionis consilium secutus est. Mortuos igitur colloquentes fecit[1]) et ita quidem, ut omnes sermonis participes essent, non unus perpetua oratione totum argumentum decantaret.

Hac autem ipsa re hic dialogus et qui sequitur a ceteris distincti sunt, maximeque ad Platonicum morem accedunt. De argumentis iam dixi; longum est hanc similitudinem per singulos libros persequi, satis sit nobiles illas disputationes de vi iustitiae deque educatione rectoris rei publicae habitas commemorare quae apud Platonem quoque magnam dialogi partem occupant. Restat tamen diversitas quaedam quae in omnibus omnino Ciceronis dialogis expressa est. Platonicus Socrates dialectica arte

---

[1]) ceterum animadvertendum mihi videtur, Ciceronem ter (de Republica, de Oratore, Cato) sermonem habitum finxisse paullo ante mortem unius e colloquentibus. Num Phaedonem imitatus? Nigidium Figulum modo mortuum in Timaeo induxit ut Aristoteles Eudemum, Theophrastus Callisthenem in homonymis dialogis.

notionem iustitiae, ut exemplo utar, definire studet neque unquam colloquentis assensionem elicere desinit. Ciceronis Scipio docet potius et laudari se patitur ab amicis; Socrates negat quicquam se de natura iustitiae scire, Scipio in initio orationis profitetur in nulla re diligentius se et acrius versatum esse. Et si extrema compositionis lineamenta contemplamur, alia nobis occurrunt quae a Platonico more aliena sunt, prooemia scilicet et distributio illa in libros. Quomodo cum argumenta magna similitudine conexa sint, dialogi forma Platonicum et Aristotelium morem inter se commixtum praebet.

Libris „de re publica" Cicero dialogum „de Legibus" adiunxit. Quem cum nusquam in scriptis suis commemorarit, viri docti recte inde coniecerunt post mortem demum eius editum esse. Inde factum quoque est, quod prooemia desunt; tamen restat difficultas quaedam. Supra iam dixi prooemia non nisi scaena mutata praemitti. Quoniam autem hoc in dialogo non mutatur, prooemia locum non habent. Tamen initia secundi et tertii libri ita comparata sunt, ut eiusmodi inductiones prorsus desiderentur. Certissime igitur apparet Ciceronem extremum perpoliendi laborem operi non adhibuisse. Ceterum notandum videtur, quod Platonis Respublica et Leges eadem qua Ciceronis homonymi libri compositionis proprietate inter se distinctae sunt; alter dialogus in diegematico genere, alter in dramatico scriptus est.

Restat ut pauca dicam de dialogo qui inscribitur de partitione oratoria qui neque Platonicum neque Aristotelium morem imitatur. Continet sermonem a Cicerone cum Marco filio eruditionis causa habitum maximeque ad Oeconomicum Xenophontis accedit. Quamquam hoc dialogi genus omnibus fere artis laudibus caret, tamen et a Graecis et a Romanis saepius adhibitum est, cf. Secundi philosophi responsa ad interrogationes Adriani (Mullach

fr. ph. gr. I 516), disputatio de Rhetorica et de virtutibus sapientissimi regis Karli et Albini magistri (Halm rhet. min. 525), Maximi Planudis περὶ γραμματικῆς (Bachmann anecd. gr. II), ne Πίναξ quidem Cebetis admodum ab hoc genere abhorret.

Ciceronis exemplum primus quantum scimus Titus Livius secutus est qui Seneca teste ep. 100, 9 dialogos scripsit „quos non magis philosophiae adnumerare possis quam historiae". Hi tamen libri aetatem nostram non tulerunt.

Saepissime porro hanc formam adhibuit L. Annaeus Seneca cuius de dialogis nuper egit Rossbachius in decimo septimo Hermae tomo p. 365 sqq., et recte quidem ut mihi videtur; assentior viro docto quod titulum dialogorum non solum duodecim illis libris sed aliis quoque Senecae scriptis attribuendum esse censet. Forma dialogorum eius non magnam habet similitudinem cum Ciceroniana, adversarii ἀόριστα πρόσωπα sunt, nunquam fere nominatim inducuntur excepto dialogo ad Serenum de tranquillitate animi misso ubi Seneca longiori eius orationi respondet. Plerumque Stoicorum ut doctrinas ita dialogorum morem sequitur adversarios verbis „inquis", „inquit"; „dicet aliquis" inducens.

Haud ita multo post Senecam Tacitus praeclarum illum dialogum „de Oratoribus" qui inscribitur composuit. Aristotelio more a prooemio exorsus quo consilium scribendi exponit enarrat sermonem inter praestantissimos eius temporis viros habitum quem se admodum iuvenem audisse fingit. Neque enim iis assentior qui eum re vera habitum esse putant. Sibi ipsi nullas dicendi partes tribuit, colloquentes facit Curiatium Maternum poetam cum Marco Apro et Iulio Secundo oratoribus, magistris suis quos similiter atque Cicero in dialogo „de oratore" Antonium et Crassum praeceptores summis laudibus effert

c. 11. Primo obtutu apparet Tacitum Ciceronis morem imitatum esse; prooemium, diegematicum genus in utramque partem disputatio: haec omnia Ciceronis vel potius Aristotelis propria sunt. Fictum esse hunc sermonem ex ipsis Taciti verbis concludi potest, cum Messalam dicentem faciat c. 15: „Neque illius, inquit, sermonis mei poenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo", et Maternum c. 24: „ac ne ipse (Aper) quidem ita sentit, more veteri et a veteribus philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contra dicendi partes." Si dialogus vere habitus esset, Aper hoc altercationis crimen certe non aeque tulisset.

Ad hanc autem quaestionem diiudicandam diu multumque tractatam summi momenti est eruere quo consilio Tacitus hunc dialogum scripserit. Dicit quidem primo capite in causas sese inquisiturum esse cur aetas sua eloquentiae laude orbata sit neque potest negari sermonem huic quaestioni satis facere; sed aliae quoque causae ad scribendum eum impulisse videntur. Satis est notum Tacitum multum temporis in rhetoricis studiis versatum esse, et ipse dicit se Aprum et Secundum mira studiorum cupiditate audisse. Mox autem a studiis illis se avertit et ad scribendum se contulit. Hoc ut explicaret, dialogum illum scripsit. Sub persona Materni qui et ipse antea rhetor fuerat suam sententiam profert. Eloquentia turbida tempora desiderat, non gaudet probitate et modestia, alumna est licentiae, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, non potest oriri nec valere in bene constitutis civitatibus. Itaque rei publicae temporibus florebat eloquentia, nunc degenerata est, ob eandem autem causam ne digna quidem cui quis operam det. Et ne quis putet eloquentiam solam honorem et gratiam comparare, Maternum poesin ita laudantem facit

Tacitus, ut illae laudes ad sua quoque studia transferri possint. [1])

Quae cum ita sint, verisimilius est sermonem non habitum esse; personae autem historicae sunt, ut apud plurimos dialogorum scriptores, eo consilio a Tacito inductae, ut amoris eis et gratiae monumentum poneret. Genus igitur dialogi Aristotelium est; certaminis formam qua prior dialogi pars continetur in conviviis quoque Xenophontis (Socr. Critob.) et Platonis (Socr. Agath.) invenimus [2]) et paullo post [3]) apud Minucium Felicem in „Octavio" qui inscribitur dialogo qui magnam omnino cum Taciti libro similitudinem habet.

Incipit auctor a prooemio quo laudem Octavii profert, tum sermonem enarrat cui se interfuisse fingit. Similiter atque apud Tacitum personae, tempus locus describuntur; colloquentes paullum inter se confabulati statim ad perpetuas orationes transeunt: Caecilius paganorum, Octavius christianorum partes suscipit. Apud Tacitum Secundus arbitri munere fungitur qui ipse poesi favet, Minucii arbiter amicus est Christianis; apud utrumque arbiter certum iudicium non profert, apud utrumque colloquentibus obscura quaedam restant, apud utrumque denique invectiva et defensio in omnibus et maioribus et minoribus partibus artissime inter se respondent.

Argumenta plurima a Cicerone praecipue ex libro „de deorum natura" mutuatus est Minucius. Inde facile quaestio solvitur quam viri docti saepius tractabant. Mirati enim sunt quanam de causa Minucius in hoc libello

---

[1]) Cf. etiam Weinkauff, Unters. über den Dialog des Tacitus. Köln 1880.

[2]) Cf. etiam Plutarchi πότερον τῶν ζῴων φρονιμώτερα τὰ χερσεῖα ἢ τὰ ἔνυδρα.

[3]) Wilhelm (de Minucii Felicis Octavio, Bresl. philol. Abh. II 1) mihi non persuasit.

ad christianam doctrinam defendendam scripto doctrinas christianismi proprias fere plane neglexerit, causae autem quas attulerunt longe a vicinia veritatis aberrant. Alii enim dicunt illam de Christo et christologia expositionem aut intercidisse aut pertinuisse ad ea, de quibus Minucius secundum undequadragesimum caput crastino die locuturus esset, alii Minucium eo consilio de his rebus tacuisse, quod tractatio harum quaestionum apud gentiles ignaros noceret magis quam prodesset, alii Minucium tum recens imbutum esse sacris christianis et ignorantia tacuisse, Baehrensius qui nuperrime dialogum edidit eum eatenus tantum christianum fuisse, ut spretis vanis figmentis ritibusque inde natis vera atque sana disciplinae illius placita adsumpsisset. Ceterorum sententias Baehrensius refutavit, ipse non rectius iudicat. Minucius non eatenus christanus est, ut sibi eligat ex christianorum doctrina ea quae cum Graecorum philosophorum placitis conveniant vel meliora sint, immo veteres philosophos acerrime impugnat qui sibi videbantur veritatem invenisse neque invenerant c. 38, 6.[1]) Difficultas autem illa quam viri docti tollere studebant facile ipsis Minucii verbis removetur. Legimus enim c. 39, 1 . . . et quod malevolos isdem illis quibus armantur philosophorum telis rettudisset.[2]) Hic nobis Minucius disertis verbis

[1]) Cf. etiam c 34, 6: „sic etiam condicionem renascendi sapientium clariores Pythagoras primus et praecipuus Plato corrupta et dimidiata fide tradiderunt . . . addunt istis et illa ad detorquendam veritatem in pecudes aves beluas hominum animos redire; non philosophi sane studio, sed mimi convicio digna ista sententia est.“ Ceterum enuntiatum illud in quinta paragrapho antecedens non interpolatum est. Nam ut veteres illi philosophi de interitu mundi quodammodo consentiunt cum christianis, sic etiam de resurrectione accedunt ad doctrinam eorum, credunt enim resurrectionem. Itaque cum veritatem suspicati sint, Minucius saepissime placita eorum affert, nunquam fere ab omni parte probat.

[2]) Locus simillimus exstat in Tatiani oratione adv. Graec. p. 31

consilium dialogi indicat: a philosophorum impetu christianam doctrinam defendere vult, itaque causis e philosophia petitis pugnat, neglegit christianorum doctrinas quae ad fidem, non ad philosophiam pertinent. Iam cum Ciceronis libri unde magnam partem argumentorum sumpsit in dialogo versentur, hanc quoque compositionis formam inde mutuatus esse videtur.

Minucius Felix qui primus Romanorum in dialogi forma christianam doctrinam defendebat complures postea imitatores habuit. Saepissime hoc scribendi genere Augustinus usus est; eodem fere tempore adversarius eius Cassianus viginti quattuor dialogos de vita monachorum scripsit, duobus saeculis post Gregorius quattuor dialogos de vita et miraculis Italicorum sanctorum composuit. Idem fere argumentum praebet dialogus Sulpicii Severi, Augustini aequalis qui plane Ciceronis morem imitatur. Scriptus est diegematico genere, in duos libros biduumque distributus. Prooemio sunt tres epistolae, dialogi initium fit a scaenae descriptione; colloquentes perpetua oratione utuntur, et ut Cicero in dialogo „de Oratore" Antonium et Crassum deinceps loquentes inducit, ut alter id quod ab altero relictum sit exponat, Sulpicius quoque Gallo sermonem tradit, ut cetera Martini facta enarret. Initium quoque secundi libri huius dialogi simillimum est initio secundi libri Ciceroniani illius scripti: in utroque colloquentibus alii interveniunt fama sermonis arcessiti.

Restant duo dialogorum auctores, P. Annius Florus et Macrobius Theodosius qui quaestiones ad eruditionem pertinentes in libris suis tractabant. Prior dialogum „Vergilius orator an poeta" qui inscribitur composuit

---

ed. Schwartz, μάρτυρας δὲ οὐ τοὺς οἴκοι παραλήψομαι, βοηθοῖς δὲ μᾶλλον Ἕλλησι καταχρήσομαι. τὸ μὲν γὰρ ἄγνωμον, ὅτι μηδὲ ὑφ' ἡμῶν παραδεκτόν, τὸ δ' ἂν ἀποδεικνύηται θαυμαστόν ὁπόταν ὑμῖν διὰ τῶν ὑμετέρων ὅπλων ἀντερείδων ἀνυπόπτους παρ' ὑμῶν τοὺς ἐλέγχους λαμβάνω.

cuius tamen solum exordium servatum est. Diegematico genere scriptus est. caret prooemio. colloquuntur auctor et Baeticus quidam.

Macrobius operi suo titulum dedit Saturnaliorum ex tempore[1]) quo sermones habiti finguntur. Distribuit dialogum in septem libros et quattuor dies et praemisit prooemium quo consilium scribendi exposuit. Iam postquam „velut sub quodam prologi habitu" de argumento operis egit et personarum electionem priorum exemplo excusavit, Platonico more (conviv.) Decium et Postumianum colloquentes inducit. Decius a Postumiano sermones in convivio nuper habitos audire cupit quos apud omnes maximis laudibus ornare soleat (Plat. Apollod.). Hic se ipsum convivio interfuisse negat, sermones autem ab Eusebio amico qui initio non invitatus erat (Plat. Aristod.) audivisse et libenter narraturum esse. Iam sequitur post scaenae descriptionem relatio sermonum quorum de natura Macrobius Eustathium dicentem facit VII 2: „Et ut prius tibi de interrogatione respondeam, qui vult amoenus esse consultor ea interrogat quae sint interrogato facilia responsu et quae sciat illum sedula exercitatione didicisse. Gaudet enim quisquis provocatur ad doctrinam in medium proferendam etc." Quod hoc loco Macrobius de sermonibus instituendis profert, per omnes libros sequitur. Dysario medico quaestiones ad medicinam pertinentes proponuntur, Praetextatus pontifex loquitur de nominibus deorum (I 17 sqq.) et de Vergilii scientia iuris pontificii, Eusebius rhetor de rhetoricis eius studiis (IV), Servius grammaticus de figuris Vergilianis VI 6 etc. Et ne desit qui „alacritatem ceterorum excitet et dulcedine quadam vituperet", Macrobius Euandrum

[1]) Cf. ex loco Aristotelis Νήρινθον, Theophrasti Μεγαρικόν, Demetrii Χαλκιδικόν, Dicaearchi Κορινθιακόν et Λεσβιακόν, Ciceronis Tusculanas disputationes.

inducit qui ubique adversarii partes suscipit. Sermones ipsi plerumque forte coniunguntur cf. I 4: Albinus usus erat verbis „Saturnaliorum", „noctu futura", „die crastini"; inde Avienus explicationem eorum desiderat; VII 11 cum ad interrogandum Dysarium ordo Servium vocat, erubescit primum, tum a Dysario quaerit quae faciat causa, ut rubor corpori ex animi pudore nascatur; VII 13 Avieno inter loquendum anulus de brevissimo dexterae manus digito repente deciderat; inde Horo occasio quaestionis nascitur et Dysarium interrogat cur sibi communis assensus annulum in digito qui minimo vicinus sit et manu praecipue sinistra gestandum esse persuaserit. Similia permulta inveniri possunt, haec sufficiant ad naturam sermonis Macrobiani ostendendam. Hoc unum etiam commemorare mihi liceat, quod Macrobius ex Xenophonteo et Platonico exemplo convivii socios de proposita aliqua re disserentes facit cf. II 2 sqq. de dicteriis, III—VI de Vergilii laudibus, in septimo libro omnes deinceps Dysario quaestiones proponunt.[1])

Ad finem iam disputationis perveni. Sane quamdiu Romanae litterae colebantur, dialogorum quoque studium non obmutuit; permultos composuerunt medii quod dicitur aevi scriptores, neque tamen huius loci neque temporis est omnes eiusmodi libros enarrare. Satis scio ne ea quidem quae tractavi extra omnem dubitationem posita esse, meumque facio Ekkehardi Urangiensis illud: „si sapientium iudicio mea simplex placuerit diligentia nullique veritatis invidentia, gratias Deo; sin autem, melius ostendenti velut certi et veri cupidus desiderantissime cedo."

---

[1]) Cf. etiam Kaibelium qui quatenus Athenaeum secutus sit Macrobius exposuit Athen. praef. XXX sqq.

Vita.

Natus sum Hermannus Schlottmann anno h. s. LXV mense Febr. die VI Sulziis patre Hermanno, matre Sophia e gente Prippernow. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis a Weissio, optimo praeceptore, imbutus, inde a tertia classe gymnasium Rostochiense frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus vere anni LXXXIV hanc universitatem adii philologicis et historicis studiis operam daturus. Sequenti anno Bonnam me contuli unde vere anni LXXXVI Berolinum migravi. Inde ab autumno eiusdem anni iterum civis fui universitatis Rostochiensis.

Docuerunt me viri doctissimi Leo Schirrmacher Philippi de Stein Bechstein Schwartz Marx Rostochienses, Buecheler Gildemeister Nissen Usener Wiedemann Bonnenses, Diels Robert de Treitschke Koser Berolinenses. Philologicis exercitationibus ut interessem Leo Schwartz Marx, historicis Schirrmacher per quinquies sex menses benigne admiserunt. Quibus viris omnibus maximas gratias habeo.